ORTHODOXÆ FIDEI CONFESSIO DE VERBI DIVINI INCARNATIONE.

Illustrissimis, & Reverendissimis Dominis per Ægyptum, Æthiopiam, Syriam, Mesopotamiam, atque Armeniam Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, Nationique omni Coptorum, atque Æthiopum, seu Abissinorum, Jacobitarum Syrorum, & Armenorum

EPISCOPUS ORTHODOXUS VERITATIS AMATOR.

Rem profectò admiratione dignam putabitis, Illustrissimi, & Reverendissimi Domini, Gensque omnis Coptorum, atque Æthiopum, necnon Jacobitarum Syrorum, & Armenorum, quod Episcopus vobis prorsus ignotus inexpectatas ad vos literas dirigat. Verùm admiratio omnis cessabit, ubi intelligetis, hunc Episcopum ardentissimo erga vosmetipsos amore ad scribendum compelli, ut rem vobis haud dubiè utilissimam, utinam & gratam, proponat.

Mœrore plenus, Dilectissimi, valdeque contristatus videns vestras Ecclesias per tot jam secula ab Ecclesia Catholica Romana omnium Ecclesiarum Matre separatas, semperque anxius de salute vestra, perscrutans, quænam causa sit, quæ florentissimorum istorum Patriarchatuum cunctas præfatas Nationes comprehendentium, tot priscis SS.Patriarchis,& Patribus, præsertim Athanasio,& Cyrillo, Ephræm Syro, & Gregorio Nazianzeno celebres, adhuc sejunctas teneat à Catholica Romana; hanc unicam superesse video; quod nempe istæ Nationes amplissimæ, quamquam jure ac merito, Ecclesiam Romanam in hoc sequentes, ab hæresi Nestoriana (ut duas separatas Naturas, duas Personas, & duos consequenter Filios, unum Dei Patris, alterum Beatissimæ Virginis Mariæ in Christo ponit) prorsus recedere intendant, quin etiam ab Eutychiana ea in parte, qua in Christo confusionem, mixtionem, & mutationem duarum Naturarum, Divinæ, & Humanæ admittebat; hoc tamen non obstante aliam Eutychianæ hæresis partem, in qua ejus Author Eutyches, supposita confusione Naturarum, unam tantum Naturam in Christo adstruebat, amplectuntur, duas in Christo post unionem negantes, unicamque tantum ex eadem compositione in eo esse cum eodem Eutychete contendentes, & hanc fuisse doctrinam à Sanctis Patriarchis Athanasio, & Cyrillo constanter traditam. De quo certè miror, considerans, quòd istæ Nationes in hac sua unius Naturæ confessione non solùm præfatos Patriarchas, qui oppositum docuerunt, non sequuntur, verùm etiam nec consequentiam in hoc servant, dum excluso errore Eutychetis de confusione, commixtione, & mutatione Naturarum, ut meritò ab eis excluditur, opus est, ut fateantur, utramque harum integram in seipsa permanere in Christo. Nec consequenter pariter procedunt ad confes-

ſionem illam ſuæ rectæ Catholicæ Fidei, quam circa Myſterium Incarnationis profitentur, tum in Symbolo Fidei Nicæno, & Conſtantinopolitano primo, tum in Liturgia prædictis Nationibus ferè communi, tum demum in aliis authenticis confeſſionibus, in quibus duas inſeparabiles, & inconfuſas Naturas unum Chriſtum conſtituentes eſſe fatentur. In quo ſi eædem ſiſterent, certè cum Eccleſia Catholica Romana, & cum glorioſis Patriarchis Athanaſio, & Cyrillo, & cunctis Sanctis Patribus Græcis, & Latinis concordarent.

Quamobrem perſuaſum mihi eſt, quòd ex mera æquivocatione hoc in iis procedat. Secùs verò, quomodo de florentiſſimis his Nationibus, deque tot inſignibus Epiſcopis, una cum eorum Illuſtriſſimis Patriarchis credi poteſt, quod illud ipſum, quod Catholicè, & vero corde, ut arbitror, confitentur, ita vellent deſtruere verbis Eutychianum errorem tàm clarè exprimentibus, ut credi poſſint cum Eutychete in eodem conſentire? Quod profectò eſt indignum ut de prædictis Nationibus, ac de graviſſimo tot Epiſcoporum cœtu cum ſuis Patriarchis cogitetur. Cum ergo pro comperto habeam, ex mera æquivocatione hoc totum procedere, itaut removeri ab hoc judicio haud poſſim; idcirco veſtram veniam, Illuſtriſſimi Domini, expoſcendo, quam ex benignitate veſtra mihi non defuturam polliceor, aggrediar hanc æquivocationem in aperto ponere, ut ſic eluceſcat quid Nationes veſtræ in re credunt, & in quo cum Eccleſia Catholica Romana circa hoc Myſterium conveniant, quidque glorioſiſſimi Patriarchæ Athanaſius, & Cyrillus, cunctique Eccleſiæ Patres, qui eos præceſſerunt, quóſque ſequi dicunt, & proclamant, docuerunt; ut ita appareat earum manifeſta æquivocatio in eo, quod præfatis ſuis confeſſionibus addunt, & in quo errorem Eutychetis ſequuntur, ſi à ſua æquivocatione non recedant.

§. I.

In quo oſtenditur, quod in ſuis authenticis Confeſſionibus verè, & catholicè ſentiunt de ineffabili Myſterio Incarnationis, & tamen contra id quod authenticè profitentur addunt id, quo ſuam Fidem deſtruunt.

1. Quæ ut oſtendam, initium ſumam à Symboli Nicæni, & Conſtantinopolitani confeſſione, in qua cum Eccleſia Catholica Romana præfatæ omnes Eccleſiæ concordant, dum de Divino Incarnationis Myſterio fatentur, creduntque Chriſtum Dominum verum Deum & verum Hominem eſſe, profitentes, quod Divinum Verbum Dei Filius *propter nos Homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de Cœlis, & incarnatus eſt de Spiritu Sancto ex Maria Virgine, & Homo factus eſt*. Cum ergo præfatæ omnes Eccleſiæ hoc cum Eccleſia Romana credant, quod ſcilicet Chriſtus Dominus eſt verus Deus, & verus Homo, conſequenter credunt, ut credere tenentur, in Chriſto eſſe duas Naturas inſeparabiliter unitas.

2. Enimvero, niſi in Chriſto poſt unionem remanſiſſent duæ Naturæ veræ, & reales, Divina, & Humana, idem Chriſtus poſt unionem non remanſiſſet verus Deus, & verus Homo; ac proinde deſtrueretur innegabilis Fidei articulus ſuprapoſitus, quod nempe Chriſtus eſt verus Deus, & verus Homo. Si enim eſt verus Deus, perpetuò immutabilem conſervat Divinam Naturam; & ſi eſt verus Homo, conſervat pariter humanam Naturam, quam profectò non ſervans, minimè eſſet verus homo. Namque cum per hanc unionem utriuſque Naturæ, nec Deus deſinat eſſe Deus, nec Homo deſinat eſſe Homo, ita neceſſe eſt, ut Chriſtus utramque Naturam conſervet.

3. Rurſus: Eccleſiæ veſtræ non admittunt illam Naturarum confuſionem, com-

commixtionem, & mutationem, seu conversionem, quam admittebat Eutyches, sed consequenter ad suam Liturgiam, & alias authenticas confessiones, sequentesque etiam gloriosissimos Patriarchas Athanasium, & Cyrillum, cunctosque Ecclesiæ Patres, hujusmodi commixtionem, mutationem, & confusionem omnino abominantur, & insuper fatentur ex duabus inseparabiliter unitis Naturis Divina, & Humana, sine ulla confusione, commixtione, & mutatione, unum resultare, qui est Christus; ut legimus in Liturgia, qua quotidie utimini in sacrosancto Missæ sacrificio; quam Liturgiam latine ex Æthiopico, & Coptico conversam habemus in Bibliotheca Patrum to. 6. & apud Renaudot. (*Liturgiarum Orientalium tom.* 1.) in qua ante communionem Sacerdos hanc Fidei protestationem de Divinæ Incarnationis Mysterio præmittit: *Amen, Amen, Amen, credo Deo, & confiteor usque ad ultimum vitæ spiritum hoc esse corpus vivificum Filii tui Unigeniti Domini, Dei, & Salvatoris Nostri, quod assumpsit ex Domina omnium nostrum pura, & sancta Virgine Maria, FECITQUE ILLUD UNUM CUM DIVINITATE SUA ABSQUE CONFUSIONE, COMMIXTIONE AUT MUTATIONE, & confessus est confessionem bonam coram Pontio Pilato. Dedit illud pro Nobis omnibus super sanctum lignum Crucis propria voluntate. Credo Divinitatem ejus separatam non fuisse ab ejus humanitate ne momento quidem, aut ictu oculi. Dedit illud pro nobis ad salutem, & remissionem peccatorum, & ad vitam æternam iis, qui ex illo communicant. Credo hoc verè ita esse. Amen, Amen, Amen. Credo, Credo, Credo.*

4. Quod, & repetunt in eo celebri libro tanti apud has Nationes habito, qui vocatur *Lapis pretiosus*, seu etiam *Margarita pretiosa*, in quo hæc Fidei confessio de eodem Incarnationis Mysterio continetur, quam latinè redditam legimus in Actis Sanctorum in appendice ad Patriarchas Alexandrinos (*tom.* 5. *num.* 109.) *Assumpsit corpus, & animam rationalem sicut nos, & in omnibus nobis similem excepto peccato, nec Divinitas in humanitatem, nec humanitas in Divinitatem mutata est, sed UNAQUÆQUE SERVAVIT QUOD SIBI PROPRIUM ERAT. Non sunt duæ Personæ, NON SUNT DUÆ NATURÆ SEPARATÆ POST UNIONEM, quæ separationem non patitur, sicut dicunt communi consensu Sancti Athanasius, Cyrillus, & Epiphanius &c.*

5. Idemque fatentur in libro, cui titulus *Fides Patrum*, in quo collectæ sunt Epistolæ Synodicæ Patriarcharum Alexandriæ, & Antiochiæ, in quibus iidem exprimunt Fidem suam. In eo igitur, quem maximo habent in pretio, præsertim Alexandrina Ecclesia, extat præ aliis Epistola Synodica Severi Patriarchæ Antiocheni ad Anastasium Imperatorem, in qua hæc de sua, suorumque Fide exponit: *Ipse Christus Deus est, & Homo, simulque est unus, non duo, EST IMMORTALIS SECUNDUM DIVINITATEM, ATQUE MORTALIS SECUNDUM CORPUS. Immortalis, mortalisque simul uniti sunt in unitate Personæ*: Et infra: *Estque unus, non duo, estque Deus Naturalis, & spiritualis, idemque est Homo naturalis corporeus, HABETQUE HAS DUAS NATIVITATES, unam ex Patre ante omnia secula spiritualem absque opera fœminæ; alteram ex Sancta Virgine Maria sine opera masculi. Hic unus, idemque unicus est ante Incarnationem, idemque unus post Incarnationem; neque enim quidquam additur numero Personarum ejus. Est igitur unicus Dominus Noster Jesus Christus*: Et infra: *SED MANENT DUÆ NATURÆ IN UNITATE, QUÆ NON DESTRUUNTUR, NEC SEPARANTUR, NEQUE VERO DUÆ ILLÆ NATURÆ CONFUNDUNTUR, AUT COMMISCENTUR.*

6. Item extat in eodem libro Epistola Sy-

Synodica Patriarchæ Alexandrini Michaelis scripta Joanni Patriarchæ Antiocheno, in cujus confessione hanc eandem commixtionem, mutationem, & confusionem duarum Naturarum excludit; ait enim: *Verbum caro factum est, & habitavit in nobis in unitate Personali, formamque nostram accepit sine conversione, & sine commixtione, & mansit sine mutatione, & absque confusione*: Et infra: *Post Incarnationem itaque VNVS EST FILIVS, ET VNVS HOMO.*

7. Quòd si hæ vestræ Nationes, Illustrissimi Domini, suis authenticis confessionibus Fidei, de hoc Divino Mysterio se credere ajunt, Christum Dominum verum Deum, verumque Hominem esse, in eoque post unionem manere duas inseparabiles Nativitates, sive Naturas, unaquaque servante quod sibi proprium erat sine confusione, commixtione, & mutatione in unitate Personæ uniusque Christi; Quomodo igitur nisi magnam patiendo æquivocationem (quam hucusque non observarunt) contra tam perspicuam, & innegabilem confessionem possunt hoc subjungere, quod nempè in Christo post unionem non sunt duæ Naturæ, sed una dumtaxat? Hoc certè est negare, & destruere idipsum, quod in dicta Liturgia, & reliquis confessionibus se credere fatentur, & cum Eutychete convenire, quem uti Hæreticum habent, & detestantur. Namque licet solummodo uti hæreticum habeant, quia temperamentum confusionis, commixtionis, & mutationis in duabus Christi Naturis admittebat, vel admittere ex ejus doctrina inferebatur; debent considerare, quod ideo dictum temperamentum, dictamve confusionem, commixtionem, & conversionem in Christi Naturis admittebat, (quamquam sub involucro verborum hoc fecisset) quia aliter negare non poterat in eo esse duas Naturas, unamque solam in ipso esse defendere. Nam si hanc confusionem, & temperamentum in Naturis non poneret, unam solam Naturam in Christo defendere non poterat, & eas duas in eo negare quæ in ipso sunt. Qua ratione in Concilio Chalcedonensi uterque error tàm confusionis, & temperamenti, quàm unius Naturæ fuit damnatus. Unde si vestræ Nationes unam tantum Naturam in Christo admittunt, & non duas, opus est, ut confiteantur eam Naturarum confusionem, commixtionem, & mutationem, seu conversionem, quam in dictis suis confessionibus negant, & uti Hæreticam meritò abominantur, & sic cum Eutychete in omnibus convenirent.

8. Quod ergo hoc ita sit, & quod negando in Christo duas Naturas, unamque solum admittendo in omnibus cum Eutychete convenirent, manifestum vobis fiet ad memoriam revocando ea omnia quæ, ut vos bene scitis, Eutyches edocebat, & in quibus suam de una sola Natura doctrinam fundabat. Tria enim ejus fundamenta erant. Unum quod sicut ex anima rationali, & corpore unitis, una tantùm Natura Hominis resultat, & non duæ, eodem modo ex humanitate, & divinitate in Christo post unionem una tantum Natura resultare debet. Alterum quod ipse sequi se ajebat doctrinam SS. Athanasii, & Cyrilli, qui unam tantum Naturam Verbi Incarnatam in Christo admittebant. Tertium verò quod si duæ Naturæ in Christo admitterentur, opus esset admittere cum Nestorio in eo duas Personas, cùm quælibet Natura debeat habere suam hypostasim, seu subsistentiam; Itaque dicere audebat, sicut & omnes ejus sequaces, quod duas in Christo Naturas admittentes Nestoriani erant, ut habemus ex Conciliabulo, seu latrocinio Ephesino, quod productum fuit in Concilio Chalcedonensi actione I. & in eo legitur, quòd Episcopi, & Monachi, & omnis turba cœperunt dicere: *Eum qui dicit duas Naturas, incidite in duo: qui dicit duas Naturas, Nestorianus est.* Et quia Eusebius Dory-

leen-

leensis Episcopus duas prædicabat Naturas, in hæc proruperunt verba: *Tolle, incende Eusebium, iste vivus ardeat, iste in duo fiat, sicut partitus est, partiatur. Si quis dicit duo, anathema sit*: Et adversus omnes generaliter Orthodoxos dicebant: *Qui dicunt duas naturas, dividite, interficite, ejicite*.

9. Et consequenter ad hoc amplecti noluerunt Concilium Chalcedonense, in quo hæc doctrina fuit damnata, propter quod Nestorianum esse dicebant, sicut & omnes eos qui in Ecclesia Dei duas naturas confiterentur. Hæc omnia Eutyches dicebat, & in his suos errores fundabat, & insuper buccinabat, uti in eodem Conciliabulo legimus, quod nunquam potest de Christo dici, eum subsistere, & esse in duabus naturis, sed ex duabus naturis, quia una tantum natura in eo est. Itaque interrogante illum Eusebio in eodem Conciliabulo: *Dicis duas naturas in Christo?* Respondit: *Ex duabus naturis scire Christum ante adunationem, post adunationem vero unam*. Cui Eusebius. *Quod si unam naturam dicas absolute post adunationem, confusionem dicis & commixtionem: ad quod non respondit*. Quapropter in eodem Conciliabulo ab Orientalibus Eutycheti contrariis, duasque naturas inconfusas in Christo admittentibus, uti Apollinarista ipse reputabatur, non obstante quod diceret, se Apollinarem inter alios Hæreticos anathematizare, ut in ipso Conciliabulo legimus: *Anathematizans Manichæum, Valentinum, Apollinarium, & omnes Hæreticos usque ad Simonem Magum*. Et merito ut Apollinarista reputabatur, quandoquidem unam tantum in Christo Domino Naturam admittens, & consequenter confusionem naturarum, Veritatem humanæ naturæ, eam cum Divinitate confundendo, destruebat, quemadmodum & Apollinaris faciebat.

10. Itaque ut Apollinaristam damnari debere S. Leo PP. (*epist.* 83.) Ad Palæstinos Episcopos scripsit, dum aliquanto longe à principio sic illis ait: *Eutyches quoque eodem percellatur anathemate, qui per impios veterum hæreticorum volutatus errores, tertium Apollinaris Dogma delegit, ut negata humanæ carnis, atque animæ veritate, totum Dominum Nostrum Jesum Christum unius adserat esse naturæ, tanquam Verbi Deitas ipsa se in carnem, animamque converterit, & concipi, nasci, nutriri, & crescere, crucifigi, ac mori, &c. Divinæ ejus tantum essentiæ fuerit*. Et idem repetit in epist. 97. ad Leonem Augustum cap. 1. Hæc de Eutychete. Hunc sequebatur Dioscorus ipse etiam unam tantum naturam in Christo admittendo, ut habemus in actione prima Conc. Chalcedonen. ubi hæc legimus: *Dioscorus Reverendissimus Episcopus Alexandriæ dixit: Manifeste ideo damnatus est Flavianus, quoniam post adunationem duas dixit Naturas. Ego autem Testimonia habeo SS. PP. Athanasii, Gregorii, & Cyrilli in multis locis, quia non oportet dicere post adunationem duas Naturas, sed unam Naturam Dei Verbi Incarnatam. Ego cum Patribus ejicior, ego defendo Patrum Dogmata, non transgredior in aliquo, & horum Testimonia non simpliciter neque transitoriè, sed in libris habeo*. In quo cum Eutychete concordabat, qui ad Theophilum, & Mamantem S. Flaviani Presbyteros, & Legatos dixit: *In qua Scriptura jacent duæ Naturæ?* Et licet confusionem, commixtionem, & mutationem confiteri Dioscorus semper recusaret, uti & Euthyches recusabat, tamen in ipsamet confessione unius solummodo naturæ hæc confusio continebatur. Ex quibus omnibus quid de illo judicare valeamus, quidque de iis, qui hodie illum sequuntur, inferri potest, amplius ex dicendis apparebit. Et hæc sufficiant pro notitia earum rerum, de quibus acturus in hac epistola sum.

11. Cum hæc ita sint, & omnia satis vobis nota, Illustrissimi Domini, modo videbitis quomodo Nationes Vestræ duas naturas in Christo negando,

unam-

unamque ſolam in eo admittendo, confitentur idipſum, quod Eutyches Apollinarem in hoc ſequens edocebat. Enim vero iiſdem fundamentis, & rationibus, quibus hic Hæreſiarcha duas naturas in Chriſto Domino negando unam tantum admittebat, & conſequenter eam confuſionem, commixtionem, & mutationem, ſeu converſionem, ſine qua ſuſtineri ea unica natura non poteſt; ipſiſmet Veſtri Nationales etiam utuntur ad negandum in Chriſto has duas naturas, & unam ſolam admittendam, ut Vos, Dilectiſſimi, bene ſcitis, quia paſſim utuntur exemplo compoſitionis hominis; paſſim repetunt SS. Athanaſium, & Cyrillum unam tantum naturam Verbi Incarnatam in Chriſto agnoviſſe; & conſtanter etiam tenent quod ſi duæ naturæ in Chriſto eſſent, duæ in eo Perſonæ cum Neſtorio admitti deberent, ob eandem rationem, quod unaquæque Natura debet habere ſuam ſubſiſtentiam; & cum in Chriſto Domino una tantum Perſona ſit admittenda, ſic una tantum Natura. Et conſequenter ad hæc, ſicut Eutyches, & ejus ſequaces olim Concilium Chalcedonenſe amplecti noluerunt, Neſtorianum illud vocando, & Neſtorianos omnes, qui illud ſequuntur, & duas naturas in Chriſto confitentur, ita & ipſi per tot ſecula noluerunt, nec volunt dictum S. Concilium, Neſtorianum illud judicantes, admittere, & Neſtorianos etiam vocando omnes illud ſequentes, & duas naturas in Chriſto admittentes. Hoc etiam addendo, & tam conſtanter ſuam unicam naturam pariter defendendo, quod ſequentes etiam in hoc Eutychetem, & ſuum Patriarcham Dioſcorum, cum eis etiam dicunt de Chriſto Domino dici non debere ſubſiſtere in duabus Naturis, neque in eis eſſe, ſed ex duabus Naturis, quia ut dicunt poſt unionem jam una ſola eſt, non duæ, in quibus eſſe, & ſubſiſtere poſſit. Quod ut amplius, & amplius firment, amplexi ſunt errorem Sergii, Pyrrhi, Pauli &c. damnatum in ſexta Synodo, qui ajebant: Unam tantum voluntatem, unamque ſolam operationem eſſe in Chriſto, uti Hæreticos habendo, qui duas voluntates, Divinam, & Humanam in eo admittunt, & duas operationes Humanam, & Divinam in eo confitentur, ne ſi duas voluntates, aut duas operationes in Chriſto admittant, cogi poſſint ad duas Naturas admittendas.

12. Ex quibus omnibus, loquendo nunc ſolummodò de errore Eutychiano unius naturæ (poſtea enim, agam de illo alio unius voluntatis, & unius operationis) jam videbitis, Dilectiſſimi, quomodo, in eo, quod defendunt, negant, ut dixi, & deſtruunt id ipſum, quod authenticè ſingulis diebus in Sacroſancto Miſſæ Sacrificio Chriſto Domino ſe credere confitentur; & in aliis laudatis confeſſionibus proteſtantur; quandoquidem in iis non ſolum excludunt omne temperamentum confuſionis, commixtionis, aut mutationis, ſeu converſionis Naturarum, verum etiam confitentur duas poſt unionem inſeparabiles Naturas ſicut Concilium Chalcedonenſe definivit, & Eccleſia Catholica Romana cum eodem confitetur, & ſemper credidit; & tamen in eo quod docent, nedum dictas duas Naturas rejiciunt, verum etiam conſequenter cum Eutychete admittunt eam confuſionem, commixtionem, & mutationem, quam in eadem Liturgia negant; cum ſtare non poſſit ex duabus Naturis unam in Chriſto reſultare, iis non manentibus ex quibus conſtat, niſi ſe confundendo, commiſcendo, mutando, & unam in alteram convertendo, ut ſuo loco amplius demonſtrabo.

13. Cum ergo, Illuſtriſſimi Domini, hæc ita ſint, operæ pretium exiſtimo ſuppoſito, quod authoritas Concilii Chalcedonenſis, & Sanctæ Romanæ Eccleſiæ pro veſtris Nationibus convincendis non ſufficit, uti ſufficere deberet, in hac mea Epiſtola ſequentia ipſis

ipsis demonstrare; Primum ex Sancto Evangelio, & ex SS. Patribus, & præsertim Athanasio, & Cyrillo, & etiam ratione, & ab absurdo duas Naturas in Christo Nationes vestras admittere debere, & non unam tantum. Alterum, quod ex argumentis, quibus Eutyches errores suos defendebat, & vestri iisdem utendo unicam in Christo Naturam defendunt non solum nihil deducitur favore suorum errorum; sed etiam ex ipsis deduci, quod confiteri & credere tenentur duas in Christo esse naturas. Tertium, id quod in Concilio Chalcedonensi definitum est, quodque nobis credendum tradit, adeo conforme esse confessioni fidei vestræ Liturgiæ, & reliquis confessionibus, ut vel negare eas vestri debeant, & à Sacra Liturgia à suis Sanctis Patriarchis, & Majoribus in suis Ecclesiis semper lecta expungere, vel Concilium Chalcedonense admittere. Quartum denique, quod consequenter ad has duas Naturas, quas in Christo confiteri debent, tenentur duas voluntates, & duas operationes in eo admittere, & credere, Divinam unam, & Humanam alteram. Quæ omnia, Dilectissimi, concludam duabus allocutionibus ad vos unicè directis, quas benignè audituros confido, sicut, & spero me omnia auxiliante Deo per sequentes §§. adimpleturum. Utinam feliciter.

§. II.

Ostenditur ex Evangelio non unam, sed duas Naturas in Christo esse confitendas.

14. NE autem dubitatio ulla, Illustrissimi Domini, remanere Nationibus vestris possit de hac mea assertione, initium sumo à Sancto Evangelio. Per Evangelistam enim Joan. (*cap.* 10.) Christus Dominus ait: *Ego, & Pater unum sumus*. Et per eundem Joannem (*cap.* 14.): *Pater major me est*. Quæ duæ confessiones quæ videntur contrariæ, evidenter ostendunt duas esse in Christo Naturas, Divinam, qua Christus Dominus unum est cum Patre, & Humanam, qua minor est Patre. Nam de unica Natura verificari non potest esse unum, & æqualem cum Patre, & ipso minorem, nisi duæ admittantur. Itaque D. Athanasius de hum. natura assumpta ab Unigenito adversus Apollinarem, inquit: *Cum Christus ait: Pater qui me misit major me est: Quatenus Homo factus est, eatenus Patrem se ipso majorem dicit; quatenus autem est Verbum Patris, æqualitatem in se ipso conservat. Ego enim, inquit, & Pater unum sumus.*

15. Quæ pariter duæ Naturæ significantur per omnes quatuor Evangelistas loquentes de morte, & passione Christi: Namque cum de Fide habeamus Christum uti Deum esse impassibilem, opus est ut in eo post unionem fateamur, non solum esse Naturam Divinam, qua pati non potuit, sed etiam Humanam, qua passus fuit, aliter pati non posset, & sic duas Naturas opus est ut habeat. Quod, & confessus est D. Cyrillus, dum Epistola nona non longe a principio, ait: *Ut Christus, ut passibilis, & impassibilis citra periculum intelligatur: Impassibilis propter Divinitatis* (Naturam videlicet) *passibilis propter corporis Naturam*. Et Sanctus Athanasius de Incarnatione Christi ante medium: *Idem est*, inquit, *qui passus est, & non passus, divina quidem Natura incommutabilis, & inalterabilis, carne tamen passus*. Rursus dicente Apostolo (*ad Timotheum* 5.) *Unus enim Deus, unus, & mediator Dei, & Hominum Homo Christus Jesus*; Necessario ex hoc fateri etiam debemus esse in Christo duas Naturas. Quippe, ut Sanctus Joannes Chrysostomus homilia 7. ad eamdem epist. versus finem, ait: *Mediator utriusque eis debet societate conjungi, quorum mediator est*: Et infra: *Quia DUARUM NATURARUM medius fuit, ambarum oportuit esse participem*.

16. Apo-

16. Apostolus etiam Thomas dum digitum suum misit in latus Domini, & in hęc verba (*Joan.*20.) prorupit: *Dominus meus, & Deus meus*; per ea utramque Naturam confessus fuit, ut optimè animadvertit Sanctus Proclus Patriarcha Constantinopolitanus in Homilia, quæ recitata fuit in Concilio Ephesino (*par.*1.*cap.*1.) dum ait: *Apostolus Thomas IN GEMINA NATURA SUBSISTENTEM Christum agnovit, agnitumque non absque ingenti stupore hujuscemodi voce compellavit: Dominus meus, & Deus meus*: Naturam scilicet Humanam fassus est, dum dixit: *Dominus meus*: Naturam verò Divinam, dum inquit: *Et Deus meus*.

17. Ipse Christus Dominus quando (*Matth.* 26.) dixit: *Pater si possibile est transeat à me Calix iste, veruntamen non sicut Ego volo, sed sicut Tu*: Has duas Naturas in seipso fassus fuit, ut D. Athanasius libro de Humana Natura suscepta ab Unigenito contra Apollinarem longe à fine tangens hunc locum, observat: *DIVINA NATURA prompta est: HUMANA VERO ob imbecillitatem deprecatur passionem*.

18. Joannes, dum (*cap.* 1.) ait: *Verbum caro factum est, & habitavit in nobis*: has easdem duas Naturas apertissimè confitetur. Nam ut ait S. Cyrillus (*in Joan. lib.* 1. *cap.* 16.) ad illa verba: *Habitavit in nobis: quoniam carnem esse factum Verbum Dei significavit, ne quis ex imperitia in carnem Divinam Naturam penitus immutatam existimet, quod omninò impossibile est, tutissimè illicò intulit, & habitavit in nobis, & CUM DUO NECESSARIO INTELLIGAS, HABITANTEM SCILICET, ET IN QUO HABITAT, non putes in carnem Divinam Naturam commutatam fuisse*: Ubi duas S. Doctor exprimit Naturas, Humanam, in qua habitat Verbum, & Divinam in eo, qui habitat.

19. Et quando Apostolus Paulus (*ad Philippenses* 2.) dicit: *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit formam Servi accipiens*: Duas item Naturas in Christo esse apertè declarat. Nam ut ait S. Athanasius de salutari Adventu Jesu Christi contra Apollinar. in principio: *Sicuti forma Dei integritas Deitatis Verbi intelligitur, ita quoque, & forma Servi intellectualis Naturæ Hominum substantia cum instrumentali substantia agnoscitur, Deoque, ut ex altero Verbum significetur, altero itidem, cum dicitur Verbum caro factum est, animam quoque adjunctam fuisse intelligatur, quæ nimirum forma servi appellatur.* Ubi pariter duas Naturas exprimit.

19. Sed longum esset omnia singillatim Sacræ Scripturæ testimonia adducere, quæ nos cogunt ad confitendum in Christo post unionem non unam, sed duas Naturas, cum ex utroque Testamento ultra centum Testimonia possem afferre id demonstrantia. Proinde ne in hac re diutius immorer, exponam multa, quæ simul tetigit Sanctus Proclus Patriarcha Constantinopolitanus in proxime laudata sua Homilia prope finem, ex quibus hæc duarum in Christo Naturarum Confessio necessario sequitur. Ait enim: *Verbum caro factum est, duæque simul in unum coierunt Naturæ, at id citra ullam omnino confusionem. Venit quidem ad salvandum, sed & pati quoque illum oportuit. At quomodo hæc utraque fieri potuerunt? Homo purus salvare non poterat, Deus solus pati nequibat. Quid igitur? Ipse Emmanuel Deus factus est Homo, & id quidem, quod erat salvavit, quod vero factum est, passiones subiit. Unde cum Ecclesia Synagogam cerneret, spinis illum coronantem, lugens tantum facinus ajebat: Filiæ Jerusalem exite, & videte coronam, qua coronavit eum Mater sua. Ipse enim spineam coronam portavit, & spinarum sententiam evertit. Idem erat in sinu Patris, & in Utero Virginis. Idem detinebatur inter Matris brachia, & ferebatur super ventorum pennas. Idem ab Angelis adorabatur, & cum Publicanis mensæ accumbebat. Vix Cherubim aspicere audebant, & Pilatus interrogabat. Servus colaphis cædebat, & ipsa creatura horrebat. Crucifigebatur, & Thro-*

& Thronus gloriæ non deserebatur. In sepulchro concludebatur, & cœlum uti pellem extendebat. Inter mortuos reputabatur, & Infernum despoliabat. Hic ut deceptor calumniis afficiebatur, ibi ut Sanctus glorificabatur. O Mysterii magnitudinem! Miracula video, & Divinitatem prædico; cerno passiones, & Humanitatem non nego. Naturæ portas reseravit Emmanuel ut Homo, sed virginitatis claustra non violavit, neque perrupit ut Deus. Ita enim Utero est egressus, sicut per aurem ingressus: ita natus, sicut conceptus: qui impatibiliter fuerat illapsus, incorruptibiliter est elapsus. Ex quibus omnibus sacris locis apparet consequenter ad verba Evangelica in Christo post unionem confiteri omnes debere non unam tantum, sed duas Naturas, Divinam, & Humanam.

§. III.

Idem ostenditur ex SS. Patribus Athanasio, Cyrillo, Gregorio Nazianzeno, Basilio, & Chrysostomo.

20. Devenio jam, Illustrissimi Domini, ad prælaudatos Sanctos Patres. Sed operæ pretium existimo primum præmittere, quod cum authoritas Patrum, & Doctorum, qui post sacrosanctum Chalcedonense Concilium scripserunt, nihil Vestras Nationes premat, sicut nec ipsum Sacrum Concilium premit, quod non admittunt, Nestorianum illud reputantes; opus erit ad eas convincendas de hac Catholica veritate duarum Naturarum in Christo, ad eos SS. Patres, & insignes Doctores, qui ante Eutychen Hæresiarcham & ejus damnationem scripserunt, recurrere. Etsi autem ad hoc demonstrandum nobis sufficere deberet, quod nullus Sanctorum Patrum de mysterio Divinæ Incarnationis tractando, vel de Christo Domino loquendo, unam tantum naturam in eo esse dixerit, sed potius duas in eo substantias, vel duas nativitates, aut duas prædicationes, seu simpliciter Divinitatem, & Humanitatem in Christo exprimendo, perinde sensisse existimandus est, ac si duas in ipso Naturas agnoverit: Divina tamen providentia habemus, quod nedum Sancti Athanasius, & Cyrillus, quos se sequi Eutyches, & Dioscorus pro una asserenda Natura proclamabant, verum etiam tres alii insignes SS. Ecclesiæ Orientalis Doctores Gregorius Nazianzenus, Basilius, & Chrysostomus, tam clare, & disertè duas naturas sub terminis naturarum in Christo declararunt, ac si hæresim Eutychianam ortam jam vidissent, quorum testimonia in hoc §. exponam. Et insuper alii quamplurimi Patres, quos sequenti §. dabo, eadem, vel fere eadem claritate loquentes: ex quibus omnibus ad evidentiam manebit convicta hæc Catholica veritas de duabus Naturis in Christo eodem modo, quo in Liturgia, & laudatis confessionibns continetur, nimirum *sine confusione, commixtione, aut mutatione, unum Christum constituentibus*, & arrogantia Eutychetis depressa, qui ausus fuit dicere: *In qua Scriptura jacent duæ naturæ?* quia forte SS. Patres non legerat. Quibus certe SS. Patribus Concilio Chalcedonensi anterioribus tam clare de duabus Christi naturis loquentibus, minime egemus auctoritate Sanctorum Patrum qui posteriores eidem Concilio sunt, quos si adduceremus, volumen unum vix sufficeret pro eis omnibus exponendis.

21. Initium ergo sumo à S. Athanasio. Et licet ejus testimonium §. præcedenti laudatum sufficere poterat pro hac duarum Naturarum veritate ex ipso Sancto Doctore firmanda, tamen alia plura dabimus testimonia. Sit primum illud, quod nobis offert in celeberrimo Symbolo Fidei, quod plurimi, ut audio, apud istas Na-

tiones habetur, tantique fit à Romana Catholica Ecclesia, ut in Divino Officio insertum illud habeamus, cum onere ipsum recitandi singulis Dominicis diebus non impeditis. In eo autem cum omne id contineatur, quod de mysterio Beatissimæ Trinitatis, ac Divinæ Incarnationis credere debemus; de ineffabili Divinæ Incarnationis Mysterio hæc habemus: *Necessarium est ad æternam salutem, ut Incarnationem quoque Domini Nostri Jesu Christi fideliter credat. Est ergo Fides recta, ut credamus, & confiteamur, quia Dominus Noster Jesus Christus Dei Filius Deus, & Homo est. Deus est ex substantia Patris ante secula genitus, & homo est ex substantia Matris in seculo natus. Perfectus Deus, perfectus Homo ex anima rationali, & humana carne subsistens. Æqualis Patri secundum Divinitatem, minor Patre secundum humanitatem. Qui licet Deus sit & Homo, non duo tamen, sed unus est Christus. Unus autem non conversione Divinitatis in Carnem, sed assumptione humanitatis in Deum. Unus omninò non confusione substantiæ, sed unitate Personæ. Nam sicut Anima rationalis & Caro unus est Homo, ita Deus, & Homo unus est Christus.*

22. Ex qua præclarissima S. Doctoris authoritate consequens est, ut duas in Christo Naturas confiteri, & credere debeamus, quando in eo exprimitur quod Christus Dominus est perfectus Deus, & perfectus Homo. Quinimo etiamsi in dicto Symbolo solummodo illa verba continerentur *unus est Christus*, hoc sufficere deberet ad has duas Naturas confitendas. Nam in libro de Incarnatione Christi post medium S. Doctor declarat in hoc solo nomine duas Christi naturas significari. Ait enim: *Christum non simpliciter dici, sed in ipso nomine, quod unum est, utramque Naturam significari, & Divinitatis, & Humanitatis; Ideoque Christum, & Hominem, & Deum appellari, quamquam unus sit Christus.* Quod & aliis plurimis in locis repetit, & S. Cyrillus confirmat, ut infra §. 10. videbimus.

23. Et alibi de Incarnatione Verbi contra Paulum Samosatensem proxime post medium hæc ait: *Secundum Paulum in similitudine Hominum fuit, & forma inventus, ut Homo. Homo verò una Persona, & unum Animal est ex spiritu, & carne, ad cujus similitudinem intelligendum est Christum unam non duas personas esse.* Si enim ad similitudinem personæ hominis persona Christi intelligenda est, & persona hominis constat ex duabus Naturis (licet incompletis) spiritu videlicet, & carne, ex quibus componitur, pariter Persona Christi intelligenda est in duabus Naturis, & quidem completis, Divina, & Humana. Quapropter cum paulo post dixisset: *Nos igitur Dominum nostrum spiritu quidem esse Deum, carne vero Hominem confitemur*, ad marginem hæc verba habentur; *In Christo duæ Naturæ sunt considerandæ*, quibus postillator optime mentem S. Athanasii percalluit, quia sciebat quod apud eum idem est dicere Christum, ac duas Naturas Dei & hominis in hoc solo nomine significari.

24. Idem in libro de Incarnatione Christi paulo ante medium sic loquitur; *Sin sacris literis eruditi credideritis, Verbum, cum Deus esset, Filium Hominis esse factum, cognoscetis unum esse Christum eundemque, & Deum, & Hominem, UT DUPLEX PRÆDICATIO SUPER EJUS ADVENTU FACILE PERSUADERE POSSET &c.* una nimirum de Divinitatis, altera de Humanitatis natura. Et longe infra: *Ita quoque mens illa non Humanam imbecillitatem, sed Dei Naturam induisse demonstrat, atque ita appellabitur perfectus Deus, & perfectus Homo Christus: Non quod Divina perfectitudo in Humanam perfectitudinem transeat, quod est impium; neque quod DUÆ SEORSIM PERFECTITUDINES SINT CONSTITUENDÆ.* Ubi sub nomine perfectitudinum fatetur duas

incon-

inconfusas Naturas non seorsim (ut eas admittebat Paulus Samosatenus ante Nestorium), sed inseparabiliter unitas.

25. Et alia plura loca omittendo, quæ sparsim per totam Epistolam leguntur, unum hoc addam quod ex libello ad Antiochum de plurimis & necessariis quæstionibus sub titulo de definitionibus, qui eidem S. Athanasio adscribitur, estque in ejus operibus, hæc planissima confessio habetur. *Si quis ergo de Divinitate quærat, quot confitearis Naturas, responde unam, hypostases vero tres. Quod si quis de Incarnationis Mysterii dispensatione interroget, quot Naturas confitearis, responde DUAS, UNAM VERO HYPOSTASIM: Christus enim duas essentias, & Naturas habet immutabiles, & inconfusas, Divinitatem, & Humanitatem in una hypostasi, Deus perfectus, & perfectus Homo cognitus: ATQUE PROPTEREA DUAS NATURAS IN UNA HYPOSTASI confitemur Incarnationem Domini Nostri Jesu Christi, & Dei.* Et hæc sufficiant de Sancto Athanasio, quem nefas esset dicere, duas perfectas Naturas in Christo post unionem non confiteri, ut ex aliis pluribus locis totam Epistolam evolventi amplius adhuc constabit.

26. Venio nunc ad Sanctum Cyrillum, qui licèt ante Eutychetem scripserit, videtur ejus errorem prævidisse, cum nullus ex Sanctis Patribus, qui eum præcesserunt, tot præclara testimonia nobis præbeat, quibus hanc veritatem evincere possimus, quot hic Sanctus Doctor ad hunc finem nobis subministrat. Hic enim plurimis in locis suorum Operum Doctrinam de duabus Naturis satis perspicuam nobis offert. Ac primum scribens ad Successum Episcopum Isauriæ in prima ad eum Epistola prope medium ita ipsum alloquitur: *Nam si negamas, quòd ex duabus diversisque Naturis unus solus Christus sit post unitatem indivisam existentibus, dicant, qui rectæ Fidei contradicunt. SI UNA NATURA TOTUS EST CHRISTUS, QUOMODO FACTUS EST HOMO, AUT QUAM CARNEM FACERE DIGNATUS EST PROPRIAM?* Perpendite, vos obsecro, Illustrissimi Domini, hæc Sanctissimi Patriarchæ verba, & observabitis, quòd clariùs loqui non posset, si Eutychetem impugnando, cum ipsomet loqueretur. In iis enim videtis, quòd non solum fatetur duas in Christo Naturas existere; sed etiam claré, & expresè ait, quod nisi rectæ Fidei contradicendo, dici non potest totum Christum esse unam Naturam ex firmissima ratione, quam adducit, ajendo, quod si totus Christus esset una Natura, ubi esset Natura Hominis, aut quomodo dici posset, Verbum factum esse Hominem, Naturamque Humanam fecisse propriam? Certè negare non poteritis vim hujus argumenti.

27. Hæc profectò sola authoritas sufficiebat; sed alias ejusdem Sancti Patriarchæ in majorem afferam comprobationem. In Epistola enim ad Nestorium, quæ lecta fuit in Concilio Ephesino (*part.* 1. *cap.* 8. *num.* 16.) ita eum alloquitur: *Quamvis Naturæ sint diversæ, vera tamen unione coeuntes unum nobis Christum, & Filium effecerunt, NON QUIDEM, QUOD NATURARUM DIFFERENTIA PROPTER UNIONEM SUBLATA SIT, verum quod Divinitas, & Humanitas secreta quadam conjunctione in una Persona, unum nobis Christum, & Filium constituerint.* Ubi videtis, quod S. Cyrillus non modo fatetur duas in Christo naturas post unionem, sed & addit, ambas in eo manere non sublata earum differentia, quin per unionem quicquam perdiderint de eo quod erant, quo excluditur, quod esse possint una tantum Natura.

28. Propterea in Epistola ad Theodosium de recta in Dominum nostrum Jesum Christum Fide, quæ recitata pariter fuit in Concilio Ephesino (*part.* 1. *cap.*

1. *cap.* 3.) in hunc modum eum alloquitur : *Affirmamus nihilosecius Naturas dispares , ac inter se dissimiles quadam coitione , & concursu , qui verbis explicari non potest , in unum convenisse. Agnoscimus tamen unum tantum esse Christum , non duos , unum rursus Dominum Jesum , non duos , unum denique Filium , non duos : Cum in uno , eodemque simul Deus , & Homo existat , mentique se offerat . Etenim VNIO ILLA NATVRARVM VSQVE ADEO INDIVIDVA, INDIVISAQVE SERVATA EST , VT VNVM , EVNDEMQVE VNIGENITVM SIMVL, ET PRIMOGENITVM CREDERE, ET CONFITERI COMPELLAMVR.* Unigenitum Patris , Primogenitum Mariæ Virginis .

29. Et in Epistola secunda ad Successum non longe à medio declarans differentiam confessionis Catholicæ de duabus Naturis inseparabilibus , & hæreticæ Nestorii de duabus Naturis separatè , & divisè subsistentibus , hæc habet : *Duarum namque Naturarum unitionem factam prorsùs asserimus : veruntamen unum Christum , unum Filium, unum Deum rectissimè confitemur ..... Ecce manifestè qui RECTAM FIDEI CONFESSIONEM DEPROMIT, DVAS QVIDEM NATVRAS APPELLAT; voces autem divinorum eloquiorum juxta earum differentias dividendas affirmat .* Quid clarius ? Dum exprimit, quod qui rectam Fidem tuetur, duas Naturas in Christo appellat; ergo qui unam tantum confitetur , rectam Fidei confessionem non depromit .

30. Idem S. Patriarcha in Epistola ad Joannem , quæ pariter in Concilio Ephesino extat (*part.* 3. *cap.* 34.) cum Sancti Athanasii doctrina concinens , ut ipse fatetur , sic loquitur : *Duarum Naturarum facta est unio , & propterea unum Christum , unum Filium , unum Dominum confitemur , secundum hunc inconfusæ unitatis intellectum Sanctam Virginem Deiparam esse confitemur; Propterea quod Deus Verbum incarnatum sit, & Homo factum* : Et infra : *Unus est enim Dominus Jesus Christus , QVAMVIS NATVRARVM DIFFERENTIA NON IGNORETVR , è quibus inexplicabilem illam unionem factam fuisse dicimus . Tua verò sanctitas illorum ora comprimere dignetur , qui concretionem , vel confusionem , vel commixtionem Verbi Dei cum carne factam esse dicunt* : Et infra : *Sanctorum Patrum , maximè autem Beati , celeberrimique nostri Athanasii sententia certò tibi persuadeat , neque alius quisquam ambigat .* Tandem omissis quamplurimis aliis locis , quæ afferre possem illum singularem non omittam ejusdem S. Doctoris , quo solo convictæ hæ Nationes maneant de eo quod contra mentem , & doctrinam ejusdem Patriarchæ est illud quod Eutyches , & Dioscorus dicebant , & ipsi dicunt , & frequenter proclamant , quod licet Christus Dominus sit, & subsistat ex duabus naturis , non tamen in duabus Naturis subsistit, & est. Quandoquidem S. Doctor (*l.*10. *Thesauri c.*7.) in fine hæc habet : *Unus profecto Dominus Jesus Christus est & non duo , & unus hypostaticè , atque personaliter IN DVABVS NATVRIS . Deus enim hominem assumpsit , atque induit , & ideo Verbum dicitur caro factum est .* Hucusque ex Sanctis Athanasio , & Cyrillo , ex quorum solis authoritatibus tria convicta manent quorum unum est , idem esse dicere ex duabus Naturis unum resultare ac unum Christum in duabus Naturis significari ; alterum debere omnes confiteri in Christo duas Naturas , qui rectæ Fidei non contradicant ; tertium denique rectæ Fidei se opponere , qui unam in Christo Naturam esse affirmant . Veniam modò, audito jam Sancto Athanasio primo Ecclesiæ Græcæ Doctore , ad alios tres ejusdem Ecclesiæ Orientalis Doctores , Gregorium , Basilium , & Chrysostomum .

31. Horum primus Sanctus Gregorius Nazianzenus in Oratione 31. in illud Evangelii : *Cum consummasset Jesus*

sus hos sermones. Num. 1. sic Mysterium declarat: *Id quod erat exinanivit, non duplex factus, sed unum ex DUPLICI NATURA FIERI SUSTINENS. Ambo enim Deus, nimirum, quod assumpsit, & quod assumptum est: DUÆ NATURÆ in unum concurrentes, non duo Filii*. Et alibi, (*oratione* 36.) longè post initium: *Duplici quidem Natura constabat, quo fit, ut alterum de eo propriè dicatur.... atque hoc est, quod Hæreticos in errorem inducit, nempè nominum horum conjunctio, permutatis videlicet in se nominibus propter UTRIUSQUE NATURÆ CONNEXIONEM. Quamvis enim hæc duo Personam unam efficiant, id tamen non Natura fit, sed eorum coitione, seu unione.*

32. Divus autem Basilius Magnus, (*homilia* 25. *de humana Christi Generatione*) prope medium, ait: *Deus in carne, non ex intervallo agens, sicut in Prophetis, sed CONJUNCTAM SIBI HUMANITATEM RETINENS PER CARNEM SUAM nostræ cognatam ad se traxit humanitatem*: Et infra: *Cumque se totum illi communicet, NIHIL PROPTEREA DE SUA NATURA, NIHIL DE SUIS AMITTIT VIRIBUS: SIC, ET DEUS VERBUM, nihil ex seipso commotus, cum nostram accepit humanitatem, neque item conversionem, commutationemque aliquam sustinuit. Et Verbum caro factum est*. Et alibi (*lib.* 1. *adversus Eunomium*) post medium: *Sicut formam assumpsisse servi in essentia HUMANÆ NATURÆ Dominum nostrum natum esse significat, sic cum dicit, in forma Dei esse, DIVINÆ ESSENTIÆ proprietatem penitùs declarat*. Et alibi l. 4. sub titulo, *quod Filius Creatura non est*, contra eundem Eunomium prope finem, hæc habet. *Quod Natura medium inter aliqua est, id utrasque contingit extremitates. Si igitur Dei, ac nostri mediator Natura Christus est, non per dispensationem, SED NATURA CONJUNCTA SUNT DEUS, ET CREATURA.*

33. Sanctus Joannes Chrysostomus Homilia 1. in Epistolam ad Timotheum circa medium sic loquitur: *Mediator utriusque eis debet societate conjungi, quorum mediator est: id quippe mediatoris est proprium utrorumque participem fieri, quorum fuerit mediator; quòd si unum quidem societate contingat, & ab alio fuerit separatus, mediator jam dici non potest. Nisi igitur consors sit paternæ Naturæ, mediator profectò non est.... Nam quia DUARUM NATURARUM MEDIUS FUIT, AMBARUM OPORTUIT ESSE PARTICIPEM: Quemadmodum enim loci cujuslibet medium utramque partem contingat necesse est; ita & Naturarum ambarum medium oportuit utrasque Naturas contingere. Quemadmodum igitur Homo factus est, ita & Deus erat*. Et alibi ad illa verba Joannis: *Et habitavit in nobis*, propè finem ita fatur; *non enim immutabilis illius Natura mutationem, sed diversorium, & habitationem mutatam dixi: HABITARE AUTEM NON IDEM EST, QUOD HABITATIO, SED ALTERUM IN ALTERO HABITAT, aliter non esset habitatio: Siquidem nihil in seipso habitat. Alterum dixi secundum substantiam: unitate namque, & conjunctione unum est Deus Verbum, & Caro, non confusione, aut interitu substantiarum, sed arcana quadam, & inexplicabili unitate. Quomodo autem hoc fit, noli disquirere; factum est, ut ipse novit.*

34. Et alibi (*sermone* 25. *de Ascensione Domini*) circa principium, sic ait: *Et sicut, duobus jurgio separatis, unus in medio positus altercantium litem, discordiamque dissolvit, ita & Christus fecit. Deus nobis justè irascebatur, & contemnebamus iratum, & clementem Dominum declinabamus, ET SE MEDIUM CHRISTUS INGESSIT, ET SOCIAVIT UTRAMQUE NATURAM*. Huc usque de Sanctis quatuor Ecclesiæ Orientalis Doctoribus cum Sancto Cyrillo uniformiter fatentibus, in Christo non unam, sed duas Naturas esse. Quibus tam claris auctoritatibus extantibus, nescio qua fronte

fronte Eutyches & Dioſcorus, & hæ Nationes dicere poſſunt ſe ſequi SS. Patres, dum unam naturam adſtruunt. Accedo jam ad alios Sanctos Patres & Patriarchas non minori claritate loquentes.

§. IV.

Idem oſtenditur ex aliis SS. Patribus, & Patriarchis, qui Concilium Chalcedonenſe præceſſerunt.

35. SI omnes Sanctos Patres, Illuſtriſſimi Domini, qui poſteriores Chalcedonenſi Concilio fuerunt, in duarum Naturarum comprobationem adducerem, in volumen non leve Epiſtola evaderet. Sed quia, ut ſupra dixi, veſtri Nationales eam debitam fidem, quam in univerſali Eccleſia merentur, in hoc puncto ipſis non præſtant; idcirco alios non exponam, niſi eos, qui prædictum Concilium anteceſſerunt. Horum autem primus ſit S. Dionyſius Areopagita de Eccleſiaſtica Hierarchia (*cap.*3. §. 2.) qui ait: *Divinæ bonitatis infinita clementia benigniſſimè omninò providentiam noſtri ..... NOSTRÆQUE HUMILITATI INSERTA ABSQUE CONFUSIONE ULLA, & maculatione veræ, & integerrimæ divinitatis ſuæ.*

36. Sanctus Juſtinus Martyr in expoſitione de recta Fidei confeſſione, prope medium, laudatus in ſexta Synodo (*art.*10.) de B. Virgine, ſic fatur: *Ingreſſum in ejus uterum, quaſi ſemen quoddam divinum finxit ſibi Templum perfectum Hominem, ſumpta parte quadam illius Naturæ, quæ fieret formandi ejus Templi eſſentia. Hoc indutus, & huic unitus Filius Dei PRODIIT NATURÆ GEMINÆ. EX ILLO ENIM TEMPORE FILIUS, ET DEUS, ET HOMO EST.* Et infra: *Quoties igitur audieris de uno Filio voces contrarias collatas invicem, divide juxta UTRAMQUE NATURAM, magnificas, divinaſque, Divinæ Naturæ attribuens; quidquid autem exiguum, & humanum, humanæ imputans; ſic enim vocum earum diſcrepantiam effugies reddendo ſua cuique Naturæ.* Et alibi in libro tertio de Trinitate laudato in Concilio Lateranenſi ſub Sancto Martino Primo conſultatione 5., hæc ait: *Filius unus exiſtens, ET DUAS HABENS NATURAS, per aliam quidem divina ſigna operabatur, per aliam verò humilia ſuſcipiebat.*

37. Sanctus Irenæus (*lib.*3.) adverſus Hæreſes (*cap.*18.) ita loquitur: *Filius Dei Hominis Filius factus, ut per eum adoptationem percipiamus, PORTANTE HOMINE, ET CAPIENTE, ET COMPLECTENTE FILIUM DEI;* ubi utramque Naturam comprehendit, eaſque ſecum portare ait.

38. Sanctus Epiphanius in Epiſtola reſponſiva ad Superiores de Doctrina Fidei, ſeu libro Anchorato, multò longè prope medium hæc habet: *Qui perfectum hominem in ſeipſum efformavit ex Maria Deipara per Spiritum Sanctum &c. Ipſum Verbum caro factum eſt, non mutatus eo, quod ſit caro, non tranſmutata Deitate in humanam Naturam; SED CUM PROPRIO CORPORE, ET CUM PROPRIA SUBSTANTIA DEI VERBI IN SUBSTANTIA EXISTENTIS COMPLEXUS FIT HOMO. Hominem autem dico perfectum: Quæcumque in homine, & qualiter homo, & ſi quid eſt homo, hunc venit, & accepit Unigenitus, quo in perfecto homine perfectè totum negotium ſalutis Deus ipſe exiſtens operaretur; itaut nihil Hominis relinqueret ..... SICUT ENIM CARNEM ACCEPIT A' CARNE NON SUPERATUS, ITA ETIAM MENTE ACCEPTA A' MENTE NON SUPERATUS EST.* Ubi utramque ſubſtantiam, ſeu Naturam declarat. Et alibi (*lib.*3.) contra Hæreſes longè poſt medium, hæc ait: *Habebat enim hæc Verbum, Corpus, & Animam, excepto peccato, excepta imminutione juxta id, quod dictum eſt: Tentatus per omnia velut Homo excepto peccato. Si verò per omnia tenta-*

tus eſt omnia habebat : OMNIA VERO HABENS , ABSQUE IMMINUTIONE IN IPSO ERANT , IMPOLLUTAQUE IPSA CONSERVAVIT , PERFECTUS EXISTENS DEUS EX CARNE GENITUS. Ubi clare exprimit quod in ſe utranque naturam conſervavit .

39. Sanctus Hilarius (*lib.9.*) de Trinitate non longè ab initio hæc habet : *Mediator ipſe in ſe ad ſalutem Eccleſiæ conſtitutus , & in illo ipſo inter Deum , & Hominem mediatoris Sacramento UTRUMQUE UNUS EXISTENS , dum ipſe ex unitis in idipſum Naturis , NATURÆ UTRIUSQUE RES EADEM EST , ITA TAMEN UT NEUTRO CARERET , IN UTROQUE , ne forte Deus eſſe Homo , naſcendo deſineret , & Homo rurſus Deus manendo non eſſet .* Et eodem libro ait: *Hanc B. Apoſtolus GEMINÆ IN CHRISTO SIGNIFICATIONIS tenuit prædicationem , ut infirmitatem in eo hominis , & virtutem Dei , & Naturam oſtenderet .*

40. Sanctus Ephæm Syrus ſermone de Transfiguratione Domini circa medium : *Unus quippe ait , eſt Deus , qui in corpore viſus eſt in Mundo . Gloria ejus divinam ſignificavit naturam quæ eſt ex Patre , & Corpus ejus humanam indicavit Naturam , quæ eſt ex Maria . AMBAS NATURAS , quæ convenerunt , atque unitæ ſunt in una hypoſtaſi , ſive Perſona immutabiliter , & citra confuſionem . Idem Unigenitus ex Patre , & ex Maria primogenitus . Et qui dividit , dividetur à Regno ipſius , ET QUI CONFUNDIT EJUS NATURAS , PERIBIT A' VITA EJUS.*

41. Sanctus Hieronymus (*in cap. 55.*) Iſaiæ ad illa verba : *Ecce teſtem Populi dedi eum* , hæc ait : *Unus atque idem Filius Dei NUNC DIVINITATIS SUÆ GLORIÆ , NUNC NOSTRÆ NATURÆ , quam ſuſcipere dignatus eſt , loquitur affectibus .*

42. Sanctus Hippolytus Martyr S. Clementis Alexandrini Diſcipulus , Homilia de Deo Trino , & Uno , & de Myſterio Incarnationis prope finem ita loquitur : *Credamus igitur , Fratres , ſecundum traditionem Apoſtolorum , quod Deus Verbum ex Cœlis deſcendit in S. Virginem Mariam , ut ex ea incarnatus , ſumpta anima humana , rationis inquam particeps factus omnia quæcumque Homo eſt . . . . Ex Virgine , & Spiritu Sancto , novus HOMO FACTUS HABENS CÆLESTE , QUOD PATERNUM ERAT TANQUAM VERBUM , TERRENUM VERO' TANQUAM EX VETERE ADAM PER VIRGINEM INCARNATUS . Sic in Mundum egreſſus Deus corporatus apparuit , egreſſus perfectus homo non enim per fictionem , aut mutationem , ſed verè factus Homo .*

43. S. Ambroſius libro de Incarnationis Sacramento cap. 5. in principio , hæc ait : *Adverſus omnes tamen generalis iſta eſt fides , quia Chriſtus eſt Dei Filius , & ſempiternus ex Patre , & natus ex Virgine . Quem quaſi Gigantem S. David Propheta deſcribit eo quod BIFORMIS , GEMINÆQUE NATURÆ , UNUS SIT CONSORS DIVINITATIS , ET CORPORIS .* Et alibi (*lib. 2.*) de Fide (*cap. 4.*) initio ſic ait; *Idem Deus , & Homo per Divinitatem Deus , per ſuſceptionem carnis Homo Jeſus Chriſtus Dominus Majeſtatis dicitur Crucifixus. quia CONSORS UTRIUSQUE NATURÆ IDEST HUMANÆ , ATQUE DIVINÆ , in Natura hominis ſubiit paſſionem .* Et longè infra: *Servemus diſtinctionem Divinitatis , & carnis : IN EODEM UTRAQUE NATURA EST ; Et ſi idem loquitur , non uno ſemper loquitur modo .*

44. S. Gregorius Nyſſenus ad Simplicium de Fide prope initium ita ſcribit : *Itaque quoniam RES DUAS DE CHRISTO STATUIMUS , ET SENTIMUS , UNUM QUIDEM DIVINUM , ALTERUM VERO' HUMANUM IN NATURA QUIDEM DIVINUM in adminiſtratione , & diſpenſatione id quod ſecundum hominem eſt , conſequenter ſempiternum Deitati atteſtamur , CREATUM VERO' HUMA-*

MANÆ NATURÆ ASSIGNAMUS.

45. S. Augustinns sermone 130. de quinque Panibus, & duobus Piscibus n. 3. ita habet: *Homo, & Deus est: unus Christus Homo, & Deus est. Quomodo unus Homo anima, & corpus non autem Deus, & Homo duæ Personæ IN CHRISTO DUÆ SUNT QUIDEM SUBSTANTIÆ DEUS, ET HOMO, sed una Persona*. Et sermone 187. de Natali Domini in fine: *Et cum hoc esse cœpit, quod non erat, Homo factus est, permanens Deus UT NON UNUM HORUM, SED UTRUMQUE VERISSIME' DICERETUR, ET PROPTER QUOD HOMO FACTUS EST &c.*

46. S. Zeno Episcopus Veronensis sermone 2. de Nativitate Christi ait: *Quia amborum nomen est Deus, IGITUR DUAS NATIVITATES ESSE DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI RUDIS, AUT NEGLIGENS DISCE CHRISTIANE', NE QUO DECIPIARIS ERRORE, unam, quam tibi non licet quærere, alteram quam legitimè si possis, permitteris edocere*.

47. S. Cæsarius Frater S. Gregorii Nysseni in suis Dialogis, (*Dialog.3.*) de variis quæstionibus, responsione ad interrogat. 133. hæc habet: *Nec Deus, nec Homo seorsim: nudus enim Homo nos servare non potuisset, Deus verò nudus pati nequit. Quamobrem fecit hoc unum. EX AMBOBUS PER CONCURSUM, ET UNIONEM NATURARUM EX PERPETUA VIRGINE NATUS ILLE HOMO DEUS, qui nihilominus, quod erat servavit idem Deus, idem Homo, NEUTRA SEPARATA NATURA, Crucem conscendit, ideoque alias QUIDEM DIVINO, ALIAS VERO' HUMANO MORE LOQUENS, convenienter se tempori accommodat*.

48. S. Gregorius Illiberitanus Episcopus contemporaneus Osii in libro de Trinitate, & Fide §. *Omnis plantatio*, sic ait: *Hoc est enim Sacramentum Fidei in Christo, ut cum illum Filium Dei esse credideris, credas quoque & Filium Hominis esse eum factum; ILLUD, ENIM QUOD FILIUS DEI EST NATURALITER POSSIDET; HOC AUTEM, QUOD FILIUS HOMINIS FACTUS EST, QUIA BENEFICUS NOBIS PRÆSTITIT*. Et inferius: *Si ergo in Sacramento Fidei hoc accipimus, ut Christum Deum credamus, & hominem Deum quidem, quia de Deo sine initio natum, hominem autem, quia in temporibus natum, non calumniemur Divinitati ejus, cum pro nostra medela, quæ sunt hominis, exequitur, HABENS IN SE ACCEPTAM HOMINIS NATURAM, QUIA NEC HOMO NEGANDUS EST, CUM PROPRIÆ DIVINITATIS NATURALEM EXERIT POTESTATEM acceptа in se forma servili*.

49. S. Amphilochius Iconiensis Episcopus, quem D Hieronymus æqualem SS. Basilio, & Gregorio Nazianzeno in scientia scripturarum facit, in explanatione Evangelii S. Joannis, & extat in Concilio Calcedonensi parte 3. sic habet: *DISCERNE JAM NATURAS TAM DEI QUAM HOMINIS, neque enim per amissionem Dei factus est homo. Neque secundum provectum ex homine Deus est. Deum enim dico, & Hominem; Da passiones carni, da Deo miracula*.

50. Antiochus Episcopus Ptolemaidis, & extat in eadem Concilio Chalcedonensi ibidem ait: *NON CONFUNDAS NATURAS, & non obstupescas circa dispensationem*. Et Constantinus Sebastæ in Armenia de opinionibus Hæreticorum prope finem sic loquitur. *Perfectus Deus existens, perfectus Homo factus est, ita quidem, ut totus sit Deus, & totus Homo DE NATURIS DUABUS DIVINITATE, ET HUMANITATE UNA HYPOSTASI SUBSISTENS, absque confusione, mutatione, divisione, ideoque duas voluntates naturales, & actiones duplices habens*.

51. Didymus Alexandrinus in primam Epistolam Canonicam D. Joannis c. 1. ini-

initio hæc habet: *Quis in humanatione Christi videt Deum sensibiliter perceptionem habens visibilis Personæ, advertens autem divinitatem, inspicit eum gloriam habentem, tanquam Unigeniti à Patre plenum gratia, & veritate. HAS DUAS PERCEPTIONES IDEST SENSIBILEM, ET INTELLIGENTIAM, demonstrat etiam ille qui dicit, & si cognovimus secundum carnem Christum, sed nunc jam non cognoscimus ... Hæc itaque differentia videndi, & inspiciendi, quomodo utraque sunt simul &c.*

52. Theophilus Patriarcha Alexandrinus Patruus S. Cyrilli in epistola ad Episcopos suos Ægyptios ita illos, ut habemus in Concilio Lateranensi sub S. Mart. I. consult. 5. alloquitur: *Nec quando unum se Christum Dei Filium testabatur, animam dividebat, & carnem, non alter, & alter, SED UNUS, ATQUE IDEM UTRUMQUE SUBSISTENS DEUS, ET HOMO, DUM SERVUS VIDETUR, ET DOMINUS ADORATUR: Siquidem in humani corporis vilitate ineffabilem celabat Deum, & rursus fragilitatem carnis divinis operibus excedebat.* Et infra: *Unus Deus, unus, & mediator Dei, & hominum, homo Christus Jesus. MEDIATOR AUTEM UNIUS NON EST DEUS AUTEM UNUS EST.*

53. S. Flavianus Patriarcha Antiochenus, ut extat in Concilio Chalcedonensi part. 3. hæc habet: *Quis revera loquetur potentias Domini, auditas faciet laudes ejus, quis verbo collati nobis beneficii magnitudinem possit exprimere? HUMANA NATURA DEITATI CONJUNGITUR ITA TAMEN, UT IN SE UTRAQUE NATURA REMANEAT.*

54. B. Atticus Patriarcha Constantinopolitanus in Epistola ad Eupsychium quæ extat eodem in Concilio Chalcedonensi ibidem, sic ait: *Quid igitur oportebat operari illum sapientissimum? Mediatione assumptæ carnis, & unione Dei Verbi ad hominem? Qui ex Maria est, utrumque factum est, itaut ex utroque unitus Christus, QUATENUS DEUS EST, IN PROPRIA IMPASSIBILIS DEITATIS DIGNITATE PERSISTERET; QUATENUS VERO PER CARNEM CUM MORTE CONGRESSUS SIMUL, ET PER COGNATAM CARNIS NATURAM, CONTEMPTUM MORTIS OSTENDERET.*

55. S. Proclus Patriarcha item Constantinopolitanus (de quo magno cum honore mentionem facit S. Cyrillus Alexandrinus in Epist. 31. ad Joannem Antiochenum) in Homilia habita Constantinopoli coram Nestorio, quæ est prima in Concilio Ephesino (*cap.* 1.) ut supra vidimus (§. 2.) hæc habet: *Apostolus Thomas IN GEMINA NATURA SUBSISTENTEM CHRISTUM AGNOVIT, agnitumque non absque ingenti stupore hujuscemodi voce compellavit Dominus meus, & Deus meus.* Et infra ita Nestorium alloquebatur: *Verbum ENIM CARO FACTUM EST, DUÆQUE IN UNUM SIMUL COJERUNT NATURÆ, & id citra ullam omnino confusionem. Venit quidem ad salvandum, sed, & pati quoque illud oportuit.* Et alibi in Epistola ad Armenos hæc habet: *Deus verbum in sua incommutabilitate persistens, idcirco per hæc, & Deitatis incommutabilitatem, & individuum Sacramenti Divina scriptura testatur, quod factum est demonstrans, & quod assumpsit insinuans, ut per primum SINGULARITATEM PERSONÆ UTRIUSQUE COMMENDET, per alterum verò incommutabilitatem divinæ substantiæ pronunciet; Deus igitur Verbum factum est homo perfectus.*

56. S. Cyrillus Patriarcha Hierosolymitanus in Catechesi 4. de Generatione ex Virgine hæc habet: *DUPLEX ERAT CHRISTUS* (hoc est duplicis naturæ) *homo quidem id quod apparebat; Deus vero, quod intelligebatur. Comedebat quidem ut homo verè itaut nos, similes enim nobis affectiones habebat. Ut Deus autem quinque Panibus aluit quinque millia.*

57. S. Dionysius Patriarcha Alexandrinus

nus in Epistola ad Paulum Samosatensem, eum objurgans, ac reprehendens de ejus circa Incarnationem erroribus, hæc affirmat: *Filium verò, qui est apud Patrem Deum quidem, & Dominum omnium Creaturarum; à Patre autem missum de Cœlis, & carne assumpta, factum esse Hominem: Quamobrem CORPUS EJUS EX VIRGINE SUMPTUM IN QUO OMNIS PLENITUDO DIVINITATIS CORPORALITER HABITAVIT DIVINITATI IMMUTABILITER UNITUM, ET DEIFICATUM EST. Qua de causa idem Deus, & Homo Jesus Christus &c.*

58. Vidistis jam, Illustrissimi Domini, quod omnes ii Patres, & Patriarchæ tum Alexandrini, tum Antiocheni, tum Constantinopolitani, tum Hierosolymitani, qui Concilium Chalcedonense antecesserunt in Doctrina Catholica de duabus Naturis unanimes fuerunt. Non prætermittam eorundem Catalogo alium Patriarcham insignem adjungere, cujusmodi est S. Anastasius Sinaita Patriarcha Antiochenus. Fuit hic quidem Concilio Chalcedonensi posterior, sed cum composuerit Catechesim; ut ipsemet testatur, ex operibus S. Cyrilli Alexandrini, quæ non solum probat ejusdem S. Anastasii fidem de duplici in Christo natura, quam docebat universum suum Patriarchatum; verum etiam confirmat, quod S. Cyrillus hanc eandem Doctrinam fidei semper tenuit, semperque docuit, idcirco eam hic exponere non recuso.

59. Sanctus, igitur Patriarcha in sua Catechesi per modum Dialogi inter Catechistam, & Catechizatum, sic interrogat, & respondet: Catechista: *In œconomia, idest Incarnationis Mysterio, quot Naturas profiteris?* Catech. *Duas, Deitatem, & humanitatem, ut idem Filius sit perfectus Deus, & perfectus Homo.* Catechista: *Quot hypostases in Fidei de Filio professione profiteris?* Catech. *Unicam, ut idem, & unus sit Filius Dei, & Filius Virginis.* Catechista: *Quid commune habet Filius cum Patre, & Spiritu Sancto?* Catech. *Communem habet cum illis Naturam suæ Deitatis, quatenus est Deus perfectus; communem verò cum hominibus habet Naturam humanitatis suæ, quatenus homo est perfectus.* Nec omittam alterum ejusdem testimonium ex satisfactione pro Epistola S. Leonis Papæ, quod extat in Concilio Lateranensi sub S. Mart. I. consult. 5. *Sicut enim nutriri, & crementari non est Deitatis, ita suscitare mortuos non est humanitatis, sed in ut condecet, non in confusionem, unitionem. INCONFUSÆ ERGO DUÆ QUIDEM SUNT OPERATIONES, SICUT ET ESSENTIÆ, unus autem operator Deus, pariterque & Homo idem existens.*

60. Quoniam demonstratum jam abunde est, Illustrissimi Domini, Sanctos quatuor Ecclesiæ Orientalis Doctores Athanasium, Gregorium Nazianzenum, Basilium, & Joannem Chrysostomum, una cum S. Patriarcha Cyrillo, atque omnes Ecclesiæ Patres cum laudatis Patriarchis, qui Eutychetem, vel ejus condemnationem præcesserunt, unanimi consensu adstruere, & docere illud ipsum, quod Ecclesiæ vestræ in sua Liturgia, in Margarita pretiosa, & in libro *Fides Patrum* repetunt; unum est quod interrogare vos velim: Quidnam est quod Nationales vestri eam Fidem, quam præsertim in Sacrosancto Sacrificio Missæ singulis diebus profitentur de duabus Naturis inseparabiliter, inconfusè, & immutabiliter absque ulla mixtione unitis, postmodò destruant, eundem Eutychetem in confessione unius Naturæ sequendo, quem, quatenus in Christo Domino admittebat confusionem, commixtionem, ac mutationem Naturarum, uti hæreticum proclamant, & insectantur?

61. Certè incredibile hoc videtur. Præsertim quando ultra tot auctoritates Sanctorum Patrum, & inter eos Sanctorum Athanasii, & Cyrilli, sunt aliæ quamplurimæ rationes adeo efficaces

caces ad convincendam de errore hanc assertionem, ut independenter etiam à damnatione Ecclesiæ (de qua infra) rejici ab ipsis deberet similis de una natura doctrina, deberentque Eutychetem in hac etiam parte, tanquam dupliciter hæreticum insectari, & abominari, uti eum abominantur, & insectantur quatenus docuit confusionem, commixtionem, & mutationem Naturarum, quas rationes sequenti Paragrapho, jam ostendam, reservatis §. subsequenti aliis gravissimis varia absurda continentibus, quæ ex hac doctrina unius Naturæ sequerentur.

§. V.

Exponuntur rationes, quibus ostenditur duas in Christo post unionem confitendas esse Naturas, non unam tantum.

62. Licet prius, Illustrissimi Domini, exponere deberem authoritatem Sacrosancti Concilii Chalcedonensis, in quo hæc veritas, authoritate sacræ Scripturæ, & Sanctorum Patrum fundata, definita fuit, quod solum pro demonstratione veritatis propositæ sufficeret; tamen operæ pretium existimo opportuniori loco definitionem dicti S. Concilii exponere ipsamque cum laudata Liturgia, aliisque confessionibus conferre, postquam omni ex capite hanc veritatem adhuc independenter ab authoritate d. S.Concilii usque ad evidentiam demonstrem. Itaque authoritate Sacræ Scripturæ, & Sanctorum Patrum jam demonstrata, devenio ad eam à ratione amplius, & amplius demonstrandam.

63. Multis iisque gravissimis rationibus hanc veritatem ostendam. Incipiam, Illustrissimi Domini, ab ea quam initio hujus Epistolæ, licet leviter, tetigi. Quæ ad hos terminos reducitur. Nam vel subditi vestri negare debent, Christum Dominum esse verum Deum, & verum Hominem, vel fateri debent, in eo esse duas perfectas Naturas, Divinam, & Humanam. Cum ergo negare non possint, Christum Dominum etiam post unionem duarum Naturarum esse verum Deum, & verum Hominem, nisi negando mysterium Divinæ Incarnationis, nostramque Redemptionem, inde consequenter fateri debent, has duas Naturas post unionem esse in Christo, & quidem perfectas, ut habemus in Symbolo S.Athanasii laudato *num.*21. ubi hæc omnes Catholici fatemur: *Perfectus Deus, perfectus Homo ex anima rationali, & Humana Carne subsistens.* Namque si Christus Dominus post unionem est perfectus Deus, & perfectus Homo, consequenter debent in eo esse ejus Divinitas, & ejus Humanitas. Cum ergo negari non possit, has esse duas perfectas Naturas, licet inseparabiles post unionem, & inconfusas, coacti necessario sunt confiteri, has duas perfectas Naturas post unionem esse in Christo. Quæ certè sola fundamentalis ratio sufficeret, ut maneret ad evidentiam hæc veritas de duabus Naturis demonstrata, sed amplius, & amplius intendo eam demonstrare septem aliis rationibus quibus præcipuè ostenditur unam solummodo Naturam asseri in Christo non posse ex utraque resultantem, & consequenter duas distinctas licet post unionem inseparabiles esse ponendas, ut eas Ecclesia Catholica Romana docet, credit, & confitetur.

64. Quod sic demonstro. Et sit prima ratio. Quia indubitabile est principium tum in Philosophia, tum in Theologia ab omnibus constanter admissum, quod ex duabus Naturis perfectis una nova resultare non potest. Quod principium, Illustrissimi Domini, firmat pro omnibus S.Athanasius, dum in libro de Incarnatione Christi prope initium hæc habet: *Duoque perfecta in unum conflari non posse.* Et est ratio quia ex duabus Naturis, ut una resul-

resultet, necesse est, ut sint Naturæ incompletæ cum aliqua ordinatione unius ad aliam, & quarum una saltem alia indigeat ad sui complementum. Hacque ratione ex corpore, & anima unitis resultat una Natura hominis, quia tam corpus, quàm anima ordinatæ sunt ad unam Hominis Naturam componendam, itaut independenter ab unione ambæ Naturæ se habeant tanquam Partes incompletæ. Ideo si modo sibi possibili unirentur Homo, & Angelus, nulla nova Natura ex hac unione resultaret, sed unus Homo, & unus Angelus, uti ante erant, uniti, & conjuncti eo quod sunt Naturæ completæ, ita ut illorum nullus alio indigeret ad sui complementum, cum nec Natura Angeli quicquam præstare posset Homini, quod illi deficeret, nec Natura Hominis præstare similiter aliquid posset Naturæ Angeli, eo quod unus, & alius in suis Naturis perfecti sunt.

65. Hoc supposito cum Verbum Divinum perfectum, & perfectissimum sit, uti habemus de Fide, & Hominem perfectum, secundum omne id assumpserit quod pertinet ad Naturam Hominis, quin in ratione Hominis suæ humanitati aliquid deesset, ut omnes fateri debemus, & mirificè declarat S. Epiphanius, ut supra vidimus num. *39.* dicens: *Qui perfectum Hominem in seipsum efformavit ex Maria Deipara per Spiritum Sanctum .... Hominem autem dico perfectum, quæcumque in Homine, & qualiter Homo, & si quid est Homo, hunc venit, & accepit Unigenitus*. Cumque nec de Verbo dici possit, quod sit Naturæ incompletæ, & ordinatæ ad componendam unam Naturam cum Homine, nec de Homine in ratione Hominis dici pariter possit, quod sit Naturæ incompletæ, & ordinatæ ad unam Naturam componendam cum Verbo: quippe nec Divinum Verbum Homine indiget ad sui complementum, nec Homo indiget Verbo uniri, ad hoc ut Homo sit ex anima rationali, & corpore constans, ut confiteri item tenemur cum Sancto Athanasio Oratione *unum esse Christum* prope finem, ubi ait: *Quemadmodum Verbum perfectum est, & suâ hypostasi absolutum, neutiquam opus habuit carne, ut Deus perfectus esset, ita neque corpus Verbo indiguit* (ad hoc nimirum ut anima rationali, & corpore constans esset.) Hinc necessario sequitur, quod ex divino Verbo, & humana Natura, una alia tertia Natura resultare non potest, sed duæ inseparabiliter & inconfusè unitæ.

66. Quod autem ex Divino Verbo licet perfectissimo per unionem ad humanam Naturam unum quid resultet, nimirum quod Homo per subsistentiam, seu hypostasim Divini Verbi subsistat, sicque una Persona, ex Divina, & humana Natura constans evadat, hoc oritur ex eo, quod cum aliud sit Natura, & aliud hypostasis, seu substantia, per quam Natura subsistit, & in ratione Personæ constituitur, ut omnes fateri debemus, & infra §. *9.* exponam, licet Verbum Divinum assumpserit Naturam humanam in ratione Naturæ completam, & perfectam; non ita completam, & perfectam in ratione Personæ, quia cum eam assumpserit sine propria substantia, non erat in ratione personæ perfecta, & completa, & sic compleri exigebat. Et sic ea assumi à Divino Verbo poterat, & conveniebat ut clementissimus Deus hoc ineffabile Incarnationis Mysterium operaretur, ut ita per suammet Divinam hypostasim, seu subsistentiam, natura nostra subsisteret, & una eademque Persona cum Divino Verbo evaderet, & sic nostram Naturam hoc mirabili modo, ipsum Divinum Verbum in se assumens, per hanc unionem Homo fieret. Aliter enim si in ratione Personæ perfecta etiam esset nostra Natura Humana cum sua propria substantia, non una sola Persona ex unione resultaret, sed duæ Per-

Personæ, Divina una, & Humana altera, ut Nestorius somniabat.

67. Ex quo evincitur, quod cum Verbum Divinum nostram Naturam humanam perfectam in ratione Naturæ assumpserit, cui uti tali, nihil pro suo complemento deficiebat, ipsumque Verbum perfectissimum sit, quin Natura humana pro sua perfectione in ratione Naturæ eo indigeret, inde una sola Natura resultare non potuit ex hac unione, sed necessariò duæ, Divina & Humana, & in ipso Divino Verbo subsistentes, licèt inseparabiliter, & inconfusè unitæ, ex qua unione unus Christus, unus Filius, una sola Persona Divina, in duabus naturis subsistens evaderet.

68. Secunda ratio sit. Quia per Confessionem unius Naturæ in Christo non consequuntur id, quod fugere prætendunt. Prætendunt enim non confiteri duas esse Naturas in Christo, & tamen adhuc in sua confessione de una Natura resultante ex duabus Naturis confiteri tenentur in eo esse has easdem duas Naturas, ex quibus ea una, ut dicunt, resultat. Quod ita demonstro. Nam Homo ex anima rationali, & corpore tanquam ex duabus partialibus, & incompletis Naturis componitur, & de eo verificatur, quod una sola Natura Hominis resultat; & tamen negare non possunt quod post unionem, ejusque compositionem, illæ duæ Naturæ inadæquatæ, & incompletæ, unicam individuam Naturam adæquatam & completam constituentes, manent in eodem Homine, non tamen separatæ licet distinctæ in se sint, cum ratione unionis per modum unius Hominem constituant. Quandoquidem evidens est de illo dici posse, & debere habere animam rationalem, & habere suum corpus, esseque verum Animal, aliter de illo dici non posset, esse Animal rationale, si utramque partialem Naturam in se non haberet: Pari ergo modo ex eo quod ex Divinitate, & Humanitate Naturis perfectis, & completis hypostaticè unitis, ea una Natura, quam supponunt resultaret, fugere non deberent à confessione earundem duarum Naturarum perfectarum in Christo, ex quibus coadunatis, ea una, ut dicunt, componitur; enimverò facta hypothesi, quod dici hoc posset, & non esset contra Fidem, ut est, adhuc in hac falsa suppositione unius Naturæ in Christo, semper verificari deberet, eum esse verum Deum, & verum Hominem, habereque consequenter in se suam perfectam Naturam Divinitatis, & eam etiam Humanitatis, ex quibus illa una, quam resultare dicunt, sicut de illa unica Natura completa Hominis, Petri v.g., vel Pauli verificatur, quod in se habet illas duas partiales Naturas corporis, & animæ coadunatas, ex quibus componitur, estque verum Animal, verumque rationale.

69. Tota vis argumenti stat in apposito exemplo compositionis Hominis; sed ne absque authoritate dictum maneat, quod licet una tantum Natura Homo sit, tamen duas partiales Naturas in se continet, & in eo agnosci, & intelligi debent (etsi evidens cæteroquin sit, quin alia authoritate, stante demonstratione allata, indigeret) audiant insignem illum Philosophum S. Justinum Martyrem, qui in expositione de recta Fidei confessione supralaudata num. 36. ad medium, loquens de hac similitudine, & declaratione, qua frequenter declaratur mysterium Divinæ Incarnationis, nimirum compositionis Hominis ex anima rationali, & corpore hæc habet: *Sunt qui hanc unionem, qualem animæ cum corpore, intelligant* (de hoc nimirum mysterio) *atque ita doceant, & convenit exemplum, si non omnino, saltem ex parte: quemadmodum enim homo, cum sit unus, HABET IN SE DVAS NATVRAS*. Ubi Sanctus Martyr tanquam insignis Philosophus non solum fatetur Hominem post unionem in se duas diversas Naturas habere, rationalem

nalem unam & animalem alteram, sed etiam docet quod in hoc convenit exemplum compositionis Hominis cum coadunatione duarum naturarum in Christo; itaque paucis interjectis subjungit: *Sic Filius unus cum sit Naturæ GEMINÆ juxta alteram patrat miracula, juxta alteram humilia in se recipit. Quatenus enim ex Patre, & Deus facit prodigia, quatenus è Virgine, & Homo, Crucem, passionem, & similia ultro pertulit.*

70. Audiant etiam S. Cyrillum Alexandrinum, qui Epistola II. ad Successum longe ante medium, afferens hoc idem exemplum ad finem, de quo ibi agit, sic illud exprimit: *Sit nobis in exemplum Homo, qui juxta Nos est. DUAS NAMQUE IN EO COGNOSCIMUS ESSE NATURAS, ANIMÆ UNAM, CORPORIS ALTERAM.* Quid clariùs? Audiant etiam S. Gregorium Nazianzenum oratione 51. longe a principio. *Duæ quidem Naturæ sunt Deus, & Homo, at non duo Filii, nec Dii, quippe Verbi hypostasis etiam assumptæ Humanæ Naturæ hypostasis extiterit. Nam ETIAM ANIMA ET CORPUS DUÆ NATURÆ SUNT, & TAMEN UNUS EST HOMO, non duo*: D. Basilius Magnus ad cap. 1. Isaiæ non longe ab initio sic etiam ait: *Subsistit Homo anima, & corpore conditus, caro è terra, anima Cælestis.* Et longe infra ad medium: *Quemadmodum enim Homo duplex, nimirum anima constat, & corpore, ita cibi duplices, cum sint utriusque alendæ substantiæ accommodi.* Et clarius cap. 5. Constitutionum Monasticarum aliquanto longe à medio: *Quia ex duplici Natura constamus, duplex virtutis quoque esse studium debet*: Et easdem duas naturas agnoscunt in homine S. Athanasius, & S. Augustinus, ut vidimus num. 23., & 45. Manet ergo, Dilectissimi, innegabile, quod etiam in suppositione, facta de una sola Natura, etsi hoc fidei non contradiceret, uti certissimè contradicit, adhuc vestri fugere non possent confessionem duarum Naturarum in Christo, ex quibus ea una, quam supponunt resultaret. Ad quid ergo (eos interrogo) hæc unius tantum Naturæ defensio? Contra Evangelium, contra SS. Patres, contra Concilia, contra Romanæ Ecclesiæ Fidem, contra suas supra allatas Fidei confessiones, quando ea unius Naturæ defensione liberari non possunt à Confessione duarum Naturarum, quas ut negent unam solam in Christo tanto conatu defendunt. Quæ ergo utilitas in hujus erroris defensione, quando coguntur confiteri id ipsum quod negant ea ipsa ratione, qua contrarium adstruere student.

71. Tertia ratio sit, quia admittere in Christo Domino unam solam Naturam, nec duas in eo fateri, idem est ac fateri in Christo esse illam confusionem, commixtionem, mutationem, & conversionem, quam admittebat Eutyches, quem ex hoc capite ipsi abominantur, & uti Hæreticum insectantur: & insuper esset contradicere, & destruere, eam Dei confessionem, quam de contrario quotidie Deo faciunt in sua Liturgia, & repetunt in reliquis supralaudatis confessionibus. Pro quo demonstrando, preterquamquod sufficeret id quod dictum est supra num. 9. ex quo constat, quod etsi Eutyches recusasset confiteri confusionem, & commixtionem naturarum in Christo, tamen, quia stare non poterat negare in Christo duas naturas, & unam solam naturam in eo admittere, nisi hanc confusionem, commixtionem &c. admittendo, semper contra illum ita processum fuit ac si aperte dictam confusionem, commixtionem, mutationem, & conversionem confessus fuisset. Licet, inquam, dilectissimi hoc sufficeret ad convincendum vestros Nationales de hoc eodem, tamen amplius convincentur auctoritate S. Cyrilli; nam cum Orientales publicassent, quod S. Doctor unam tantum naturam in Christo admittebat,

bat, ex eo quod dixerit, in Christo esse unam Verbi naturam incarnatam, eum Apollinaristam esse arguebant, ut S. Doctor ait epist. 2. ad Successum aliquanto longe à principio, ubi hæc habet: *Superfluis igitur sermonibus immorantur qui dicunt: si una Verbi natura est incarnata, hoc sequitur omnimodis, ut permixtio, confusioque generetur, vel, ut imminuta, suppressaque humana substantia maneret.* Cui calumniæ Cyrillus non respondet negando, quod si unam solam naturam in Christo admitteret, non verificaretur, quod admittebat confusionem, commixtionem &c. in Christo: sed supponendo, quod vere hoc sequeretur, calumniæ satisfacit in hunc modum: *Non enim minuitur, ut æstimant, neque supprimitur: sufficit autem ad significantiam facti hominis fateri, quod incarnatum est. Hoc enim si taceretur à nobis, haberent aliquem colorem eorum calumniæ.* Et infra: *Si enim unam dicentes naturam Verbi, taceremus non inferentes incarnatam, si negaremus dispensationis arcanum, forsitan eorum sermones aliquid persuasionis afferrent.* Ex quo videtur, quod tam Orientales, quam S. Cyrillus agnoverunt, quod unam naturam admittendo in Christo, opus erat admittere confusionem, commixtionem &c. & consequenter naturæ humanæ imminutionem.

72. Ratione etiam evidentissima hoc idem demonstratur, nam solum de compositione cujuslibet mixti, quæ fit per confusionem, commixtionem, & mutationem verificari potest in eo non esse formaliter eas partes, seu Naturas ex quibus componitur, uti habemus in compositione cujusvis rei corporeæ, quæ est compositio mixta, componitur enim ex igne, aere, aqua, & terra, ut omnes fatemur; Et tamen quia hæc compositio est mixta, quæ fit per partium confusionem, mutationem, commixtionem, & conversionem, ideo verificatur in eo neque esse Ignem, neque reliqua Elementa, sed quid diversum ab ipsis, ex quibus constat, & resultat ut notum omnibus est; ex vera Philosophia, & tradit etiam supralaudatus insignis Philosophus Sanctus Justinus Martyr in expositione de recta Confessione Fidei laudata (*num. 36.*) qui ait: *Sicut enim corpus constat ex Igne, Aere, Aqua, Terraque, nec tamen est Ignis, aut elementum aliud; diversum enim est ab iis ex quibus constat.* Et hæc est differentia quæ datur inter compositionem mixtam, quæ fit ex partibus, quæ mutuò confunduntur, commiscentur, & mutantur, & una in aliam convertuntur, & puram, seu simplicem compositionem quæ per unionem fit ex partibus aliquod totum componentibus, quæ fit absque hac confusione commixtione, mutatione, aut conversione, ut proximè vidimus in compositione Hominis. In illa enim, quæ fit per confusionem, mutationem &c. non manent partes ex quibus totum componitur, ut in se erant, sed omnino confunduntur, & in aliam Naturam mutantur; in illa vero quæ fit per puram, ac simplicem compositionem, & unionem unius cum alia absque dicta confusione, unaquæque remanet in integritate suæ Naturæ uti in se erant; unde si incompletæ, incompletæ manent, & ut tales componunt illud totum si completæ eodem modo manerent etiam in sua perfectione absque mutatione ulla in illo toto, quod ex earum unione resultaret, & ut tales illud componerent.

73. Quam differentiam, Dilectissimi, vestri Prædecessores optimè cognoverunt, & vos etiam absque dubio cognoscetis, quando in vestra Margarita pretiosa de Christo Domino fatemini: *Nec divinitas in humanitatem, nec humanitas in Divinitatem mutata est, sed unaquæque servavit, quod sibi proprium erat;* ut supra num. 4., & in libro Fides Patrum: *Manent duæ Naturæ in unitate, quæ non destruuntur, nec separantur, neque vero duæ*

illæ

illæ Naturæ confunduntur, aut commiſcentur; ut ſupra num. 5. & hoc quidem ad ſignificandum, quòd unio Divini Verbi cum humana natura non fuit per compoſitionem mixtam, & conſequenter fuiſse puram, & ſimplicem utriuſque naturæ coadunationem, in qua naturæ non mutantur, ſed manent uti erant, & ſic optimè dicitis *Unaquæque ſervavit quod ſibi proprium erat*. Ex quo videtis, quomodo idipſum quod confiteri refugiunt, necesſario fateri coguntur; enimvero ſi veſtri non admittunt in Chriſto duas Naturas, ſed unam tantum, necesſario debent confiteri idipſum, quod de hæretico Eutychete abominantur, & inſectantur, nimirum compoſitionem Chriſti fuiſse mixtam per confuſionem, commixtionem, mutationem, & converſionem.

74. Quarta ratio ſit, quòd cum Eutyches, ut jam vidimus hæc duo doceret; unum quòd Natura Divina, & Humana in Chriſto erant confuſæ, mixtæ, & mutatæ; alterum, quod ex hac confuſione, commixtione, & converſione una ſolummodo Natura in Chriſto reſultabat; magnam injuriam, Illuſtriſſimi Domini, ſibimet ipſis irrogant veſtri ſubditi, tum in eo quod fatentur ipſum erraſſe quatenus docebat hanc duarum Naturarum, confuſionem &c. ob idque hæreticum eſſe, & tanquam talem in hac parte eſſe reputandum; hoc non obſtante ipſum ſequuntur in illa alia parte, in qua unam ſolam Naturam in Chriſto confitebatur. Tum quia ſi ita enormiter erravit in uno, cur credere non debent erraviſſe in altero, quod ex eo ſequitur? Præterquamquod non decet, quod de tam florentiſſimis Nationibus dicatur, quod eum, quem tanquam hæreticum merito damnant, & inſectantur propter doctrinam de confuſione Naturarum, in doctrina æquè ab Eccleſia tanquam hæretica proſcripta, de una Natura illum ſequantur. Præſertim quando illum errorem de Naturarum confuſione, commixtione, & mutatione debebat admittere, ad hoc ut ſtabilire poſſet illum alium errorem de una ſola Natura; Quandoquidem aliter unam ſolam naturam in Chriſto ponere non poterat, niſi prius ſuum illum errorem firmaret de confuſione Naturarum, & mixta Chriſti Domini compoſitione, in qua ſola non manent partes ex quibus compoſitio fit.

§. VI.

Exponuntur reliquæ rationes, & graviſſima abſurda, & hæreſes quæ ſequerentur ſi una ſola natura eſſet in Chriſto.

75. QUinta ratio ſit, quia ſi in Chriſto una ſola Natura eſſet, & non duæ, de illa ſola Natura, quæ uti talis indiviſibilis eſt, verificaretur eſſe naturam creatam, & increatam, eſſe æqualem Patri, & minorem illo, eſſe paſſibilem, & impaſſibilem, eſſe mortalem, & immortalem, & aliæ innumeræ ſimiles contradictiones, quæ omnia certè contraria, & implicatoria ſunt, cum de una, & eadem indiviſibili Natura verificari hæc non poſſint, quorum unum aliud excludit ob oppoſitionem, & contrarietatem, quam inter ſe habent. Quæ profectò contradictiones ſalvari in Chriſto aliter non poſſunt, niſi duas Naturas non confuſas, non commixtas, nec mutatas ſeu converſas licèt inſeparabiles in eo confitendo; itaut reſpectu unius poſſit dici, eſſe naturam increatam, & ſimiliter reſpectu alterius eſſe creatam, & reſpectu unius eſſe æqualem Patri, & reſpectu alterius eſſe minorem illo, & ſic de reliquis contradictionibus. Qua ratione SS. PP. Athanaſius, Cyrillus, & reliqui SS. Patres laudati ſupra (*a num. 14. ad 19.*) ſalvant has evidentes contradictiones in Chriſto, eas componendo cum hac du-

duplici Natura, quam cum Ecclesia Catholica Romana in eo esse confitentur, & quas aliter salvare non possent.

76. Nam ut ait S.Jo. Damascenus (*lib.de duabus Christi voluntatibus, & actionibus*) longè à principio: *Fieri non potest, ut una eademque Natura creata sit, & non creata, principium habuerit, & non habuerit, patiatur, & non patiatur. Si enim habuit principium, non caret principio, & si increata est, non fuit creata. Ita Christus non una Natura est, sed una persona duabus prædita Naturis, quarum una est increata, creata altera, una sine principio, altera principium habuit.* Et S. Athanasius etiam hoc idem absurdum agnovit in Tractatu de salutari Adventu Jesu Christi adversus Apollinarem, & sic prope initium illi ait: *An ipsum impatibilem, incorporalemque Dei Verbum... passionis, & mortis capacem esse dicetis? Sed qui (quæso) Filius Patri consubstantialis, indivisibilisque secundum Divinam Naturam, patibilis dici possit, cum sit inconvertibilis, & immutabilis, nisi sumpta ex utero Virginis integra humanæ naturæ specie, homo sit factus?* Quo nos docet, quòd duæ Naturæ, Divina, & Humana, admitti in Christo debent, ut secundum humanam passibilis sit.

77. Hacque ratione in Homine salvantur aliæ similes contradictiones, nam de illo verificatur esse mortalem, & immortalem, esse corruptibilem, & incorruptibilem; corporeum, ac terrenum, & cœlestem, & spiritualem, & aliæ similes, quæ salvari in eo non possent, si illæ duæ partiales, & incompletæ naturæ animæ & corporis ex quibus componitur de quibus supra (*nu. 69. 70. & 71.*) egimus, in eo non essent, quibus salvatur, quod sit mortalis ratione corporis, & immortalis ratione animæ, & similiter corruptibilis ratione corporis, & incorruptibilis ratione animæ. Hæc omnia adeo evidentia sunt, ut sola ratione naturali cognosci possint, & debeant.

78. Sexta ratio sit, quia si in Christo una tantummodo natura esset, & non duæ, verificaretur, dari naturam mediam inter Deum, & Hominem, itaut natura nostra Humana cum Divina unam, indivisibilemque naturam constitueret. Quod certè nescio, quomodo excogitari à Christiano ullo possit, quando uti veritatem indubitatam fateri omnes debemus, quòd inter Deum, & Creaturas non datur medium,& quòd quidquid Deus non est, Creatura est, quod profectò hac media nova Dei, & Hominis Natura falsificaretur. Et insuper dici posset, in Christo Deum esse ejusdem Naturæ cum homine, quod absurdissimum esset; nam ut S. Joannes Damascenus libro citato de duabus Christi voluntatibus, & actionibus prope initium ait: *Ille enim Deus est, & homo: Dei autem, & hominis non est una natura, quandoquidem non una est divinitatis, humanitatisque definitio: Est enim Deus Creator, ille autem Creatura*: Nam aliter Creatura Creatori æquaretur, & de illa indivisibili Natura æquè dici posset esse Deum, & posset etiam dici eandem esse Creaturam. Quæ omnia absurda, & hæreses, quæ sequerentur ex hac unica sola Natura, salvari alia via minime possunt, nisi duas Naturas in Christo Domino admittendo; quandoquidem si illas confitemur, uti Ecclesia Catholica Romana eas confitetur; hæc omnia absurda, & hæreses omnino vitantur.

79. Videant ergo Vestri si hoc sustineri possit, quando S. Athanasius *Oratione Unum esse Christum* non longe à principio loquens de Marcello, & aliis hæreticis, qui in Mysterio Incarnationis naturam humanam tanquam complementum Divini Verbi admittebant, ita illos impugnat: *Deo Hominem coæquant, & quæ serva sunt, cum Domino in eodem gradu & numero collocant.* Et infra ad medium: *Caro enim ejusdem substantiæ erit cum Deo, quod nefarium dictu est. Quod si*

 con-

concedas, sequetur ex ista concessione ne Verbum quidem futurum esse ejusdem substantiæ cum Deo, quod plane absurdum est. Verbum enim per se integrum est, & consubstantiale., propriamque sibi hypostasim habet, nulliusque supplementi indiget. Et infra: *Non enim Deus ita incarnatus est, ut caro fieret, neque Filius Dei ita humanatum Corpus sumpsit, ut in hominem mutaretur, neque Dominus gloriæ formam servi gestavit, ut servus redderetur, sed Homo, & Filius hominis est ille, qui est Filius Dei, idemque servus specie tenus, qui est Dominus natura.* Porro hæc omnia, quæ S. Doctor contra hanc hæresim exponit, evidentissimè verificantur de hac unica natura Divina simul, & Humana, nulla manente naturarum distinctione ratione unionis inter eas.

80. Sed de hoc latius in sequenti ultima ratione, èx qua apparebunt alia absurda, & errores, quæ ex eo sequerentur. Nunc autem illud subjungam, quod tamquam chimæra hæc natura media existimaretur, cum in sublunaribus Philosophia non agnoscat speciem naturæ, quæ non sit multiplicabilis, & prædicabilis de aliis individuis ad eandem speciem pertinentibus, nec individuum, quod ad aliquam speciem non pertineat. Quæ enim natura media inter Deum, & hominem excogitari potest, quæ multiplicabilis, & prædicabilis de aliis individuis sit, vel quæ individua, quæ ad ejus speciem pertineant?

81. Nec vestros subditos, Dilectissimi, fallat existimare, ut forsan existimabunt, hoc idem verificari posse in Doctrina Catholica, qua credimus unum Christum in duabus naturis, quia eumdem Christum confitemur verum Deum, & verum Hominem. Nam ex eo argui non potest nos admittere unam Naturam mediam inter Deum & hominem, quæ simul sit Deus & Homo, & possit etiam dici Deum ejusdem esse naturæ cum homine: Enim vero Christum Dominum utrumque esse dicimus non ratione unius Naturæ, quam non componit, sed ratione duarum Naturarum, quæ distinctæ in se sunt, & per unionem inseparabiliter coadunatæ in eo inveniuntur: itaque ratione Divinitatis, quæ alia est ab Humanitate, dicimus esse Deum, & ratione Humanitatis, quæ alia etiam est à Divinitate, dicimus esse Hominem, quod in sua unica Natura, quam vestri admittunt, negando has duas in Christo, verificare non possunt. Unde cum his duabus naturis quas Ecclesia Catholica confitetur, nunquam verificari potest ejusdem naturæ esse Deum cum homine, nec è contra. Et hac ratione ad excludendam hanc unicam Naturam Ecclesia Catholica confitetur, & vestri etiam in sua Liturgia, & Margarita pretiosa fatentur, quod hæ duæ Naturæ absque ulla confusione, commixtione, aut mutatione, seu conversione inseparabiliter manent unitæ, unaquaque servante, quod suum est, quodque ad suam Naturam pertinet. Atque idcirco nec constituimus Naturam mediam inter Deum, & Hominem, nec verificatur, quod æquemus Naturam Divinam cum Natura Humana, cum unaquæque immutabiliter suum esse conservet, nec dicamus Deum ejusdem Naturæ esse cum Homine, nec multiplicemus novam aliquam mediam naturam, cum hæ duæ unam non constituant, sed distinctæ inseparabiliter maneant, nec admittamus novam speciem sine individuis, nec novum individuum sine specie, uti hæc omnia dicere debent qui ex utraque natura unam constituunt, duasque, etsi inseparabiles, à Christo Domino excludunt.

82. Septima ratio valde affinis præcedenti, & ex ipsa descendens omnique animadversione digna, sit. Quod cum Fide certum habeamus consubstantialitatem inter Deum, & Hominem dari non posse, cum hæc consubstantialitas solum dari queat in *Di-*

Divinis Personis inter se, & cum Divina essentia; qua ratione in Concilio Chalcedonen. (*part. 2. act. 5.*) in Confessione Fidei habemus definitum: *Christum Dominum consubstantialem esse Patri secundum Deitatem, consubstantialem Nobis eumdem secundum Humanitatem*; non vero quod Divinitas consubstantialis sit humanitati, nec Humanitas Divinitati. Inde fit, quod si una eademque Natura constitueretur ex Humana, & Divina Natura, duo gravissima absurda sequerentur. Unum quod consubstantialis evaderet homo ipsi Deo, & Deus homini, uti unam naturam constituentes, ut per se patet.

83. Quod certe esset admittere hæresim Apollinaris, ejusque sequacium, qui docuerunt consubstantiale, & coessentiale in Christo esse Corpus, seu Hominem Deitati, quam hæresim nervosissime impugnat S. Athanasius in Epistola ad Epictetum Episcopum Corinthiorum contra Hæreticos latè per totam. Et etiam S. Epiphanius [*hæres.* 77.] qui initio refert per Apollinaris Discipulos evulgatam hanc hæresim fuisse.

84. Ex quo errore ductus fuit Eutyches ad seminandum illam suam de una natura doctrinam. Quapropter uti Apollinarista notatus, & publicatus in Conciliabulo Ephesino fuit, & uti talis à S. Leone PP. declaratus, ut vidimus num. 10. eo quod unam tantummodo naturam in Christo Domino admittens veritatem naturæ humanæ in ipso consequenter cum Apollinari negabat, & conversionem divinitatis in carnem necessario admittebat, (ex ea potissima ratione supra laudata, quod stare non potest unam solam naturam in Christo admittere, & hoc, quod ex eo sequitur non confiteri.) Hacque ratione uti Apollinaristæ reputantur, qui Eutychetem in hoc unius naturæ errore sequuntur. Nam negatis in Christo duabus Naturis, unaque sola admissa, cum utraque natura Divina, & Humana consubstantiales necessario debeant admitti, hoc gravissimum absurdum pariter sequitur, quod à laudatis SS. Patribus Athanasio, & Epiphanio contra Apollinarem, & ejus Discipulos hanc consubstantialitatem Naturarum in Christo admittentes acriter eam impugnando, demonstratur.

85. Itaque S. Athanasius in dicta ad Epictetum Epistola prope initium contra hanc hæresim sic invehitur: *Quis infernus ista eructavit? Ut consubstantiale dicant Corpus ex Maria genitum cum Verbi Divinitate: aut Verbum in Carnem, & Ossa, Costas, & Nervos, & prorsus in Corpus commutatum esse, & à sua natura degenerasse. Quis ista in Ecclesia, aut à Christianis audivit? aut quis ita impius fuit, ut vel verbis diceret, vel animo cogitaret, ipsam Deitatem, quæ Patri est consubstantialis, circumcisam fuisse, & ex perfecta imperfectam esse redditam?* Et iisdem rationibus hunc errorem rejicit S. Epiphanius, ad literam afferens dictam S. Athanasii Epistolam.

86. Quæ omnia, Dilectissimi, profecto militant tam contra Eutychetem, quam contra Nationales vestros, qui illum sequuntur in hoc unius tantum Naturæ errore; cum eadem consubstantialitas utriusque Naturæ admitti necessario debeat, vel non erit una sola Natura in Christo, sed manebunt in eo duæ ex quibus resultat, qua ratione, ut dixi, tamquam Apollinarista Eutyches fuit reputatus, non obstante quod ipse hanc notam à se rejiceret, quia unam tantum Naturam illo admittente, evidenter sequebatur, quod cum doctrina Apollinaris consentiret.

87. Alterum vero gravissimum absurdum, quod sequeretur, quodque ingentem timorem, Dilectissimi, Vestris Nationibus incutere debet, est quod si homo consubstantialis in Christo evadit Divino Verbo, Quaternitatem pro Trinitate debent admittere, ut optime contra dictos hæreticos arguunt SS. Athanasius, & Epiphanius. Sic enim arguit contra illos S. Athanasius: *Hæc cum loquuntur,*

tur; non sentiunt ipsos in seipsos impingere; nam tametsi ex Maria procreatum esse id Corpus negent, Verboque consubstantiale esse affirment; æque tamen Quaternitatem, quam simulant se se effugere velle, constituunt. Ut enim Filius secundum Patres consubstantialis Patri, non est idem, quod Verbum, sed alius respectu Verbi; atque ideo cum alius sit, & quartum in ordine, summam quatuor Personarum pro tribus constituit ipsorum opinione. Et concludit: *Et qui quæso Christiani qui alium Deum, præter eum, qui est, effingant?* Idem efformat argumentum S. Epiphanius, qui ut dixi, hanc hæresim impugnans utitur eadem laudata Epistola Sancti Athanasii ad Epictetum, & iisdem rationibus.

88. Quod certe argumentum utriusque Sancti Doctoris bene agnoscitis, Dilectissimi, quantam vim habeat contra Vestros Nationales, qui unam Naturam ex Divinitate, & Humanitate in Christo contra regulas Fidei ponunt. Namque cum unam talem Naturam Verbi constituendo ex Humanitate, & Divinitate, consubstantialis fiat homo Divino Verbo cum quo unam Naturam (ut dicunt) constituit, & hæc consubstantialitas non tollat, quod aliud sit homo, & aliud sit Verbum (ut arguunt Sancti Athanasius, & Epiphanius exemplo illius superioris tantoque majoris consubstantialitatis Filii cum Patre, qua non obstante Filius alius est à Patre), & de utraque Natura Homo, & Verbum per consubstantialitatem verificetur quod sit consubstantialiter Deus, sic eadem ratione à SS. Athanasio, & Epiphanio tradita resultat, quod alium novum Deum constituant: *Et qui quæso Christiani, qui alium Deum, præter eum, qui est, effingunt?* Repetam cum eisdem SS. Athanasio, & Epiphanio.

89. Ex his omnibus potentissimis rationibus, & convincentibus argumentis jam videbitis, Illustrissimi Domini, quot absurda, quot errores, & Hæreses sequerentur, unam solam naturam in Christo D. vestri admittentes, & non duas distinctas licet inseparabiliter, & inconfusè hypostaticè in una sola Persona Divina unitas & conjunctas cum Ecclesia Romana confiteantur, quibus duabus Naturis, ut jam vidistis, omnes expositæ contradictiones salvari unicè possunt, & omnis Naturarum confusio, commixtio, mutatio, conversio, atque consubstantialitas, & in Divina Trinitate Quaternitas excludi, & à suspicione omni de eo quod Nationes vestræ in omnibus suis erroribus Eutychetem, Apollinarem, & Hæreticos consubstantialitatem humanitatis cum Divino Verbo admittentes, sequuntur, liberari.

90. Et cum has duas Naturas inseparabiliter, & inconfusè unitas cum Ecclesia Romana admittendo, consequenter Vestri procederent ad id, quod in sua Liturgia, & in reliquis Confessionibus credere protestantur, & insuper sequerentur Doctrinam, quam Evangelium, Sancti Patres, & Concilia nos docent, & ipsa Ecclesia Catholica Romana fatetur, & credit: *Nescio quid tanto ponderi authoritatis, rationis, absurdorum, & errorum, qui ex contraria confessione sequerentur, prævalere* in istis florentissimis vestris Nationibus possit, ut contrarium doceant.

91. Et quia lego, apud Vestros multum prævalere ea argumenta quibus Eutyches suos defendebat errores, operæ pretium existimo sequentibus §§. demonstrare, nedum nullum ex ipsis quicquam juvare ad unam naturam probandam, verum etiam ex ipsis convinci duas in Christo esse naturas.

§. VII.

Satisfit primo argumento Eutychetis, quod desumebat ex compositione Hominis, quo hæ Nationes utuntur, & demonstratur eodem argumento probari duas in Christo esse naturas.

92. TRia sunt, Illustrissimi Domini, argumenta, ex quibus Eutyches occasionem sumpsit ad illos suos errores

res defendendos de confusione, commixtione, mutatione, seu conversione Naturarum in Christo, & consequenter de una tantum Natura in eo admittenda, ut §. 1. jam vidimus, credens ea omnia desumi ex Sanctis Patriarchis Athanasio, & Cyrillo. Et quanquam Nationes vestræ, ut hæreticum ipsum Eutychetem habeant, quatenus confusionem Naturarum docebat, tamen audito nomine Athanasii, & Cyrilli, quos sequi merito in omnibus desiderant, & credentes utrumque Sanctum Doctorem favere assertioni unius tantummodo Naturę, duas excludendo, idcircò iisdem utuntur argumentis, ut dictas duas Naturas excludant, & unam tantummodo post unionem confiteantur. Quorum primum est, quod uterque Sanctus Doctor ad similitudinem compositionis Hominis ex anima rationali, & corpore, dixit fuisse constitutionem Christi Domini ex Divina, & Humana Natura. Ex quo vestri arguunt, quòd sicut ex anima rationali, & corpore, licèt sint duæ diversæ Naturæ, per unionem una tantum Natura humana resultat; ita pariter tametsi Christus Dominus ex duabus Naturis Divina, & Humana constituatur, post utriusque tamen unionem, nonnisi una Natura debet resultare. Sed evidens iis erit, quòd magnam in hoc æquivocationem patiuntur. Non enim SS. Patriarchæ Athanasius, & Cyrillus illo exemplo usi fuerunt ad comparandam Naturam Hominis cum Natura Christi, sed ad comparandam Personam Hominis cum Persona Christi, affirmantes, quòd sicut in Homine ex Anima, & Corpore resultat unus solus Homo & non duo, & una sola Persona, & non duæ; ita & in Jesu Christo ex Humanitate, & Divinitate unus solus Christus, & in iisdem duabus Naturis una sola Persona, & non duæ resultant. Nec poterant Theologi tam insignes, qui Philosophiam non ignorabant, præfata comparatione uti ad aliud significandum, ut mox demonstrabo.

94. Ac primum si spectetur S. Athanasii doctrina, ipse in suo Fidei Symbolo, quod laudavi supra (*num.* 21.) ita loquitur: *Nam sicut Anima rationalis, & caro unus est Homo, ita Deus, & Homo unus est Christus*. Hæc est comparatio; sed observare deberent, ad quem finem ea utitur. Dixerat ille in eodem Symbolo, quòd Christus Dominus erat: *Unus omninò non confusione substantiæ, sed unitate Personæ*: Propterea immediate nullo interjecto verbo subjungit: *Nam sicut Anima rationalis, & caro unus est Homo, ita Deus, & Homo unus est Christus*: Non ait una Natura, sed unus Christus, idest una sola Persona, & non duæ. Quando enim similitudo affertur, ad id affertur de quo agitur; ac proinde cum agit S. Patriarcha de una Christi Persona, quæ est in duabus ejus Naturis inconfusè unitis, ad hoc demonstrandum usus fuit dicto exemplo, & similitudine. Quod autem ad hunc solum finem, similitudinem de hominis compositione adduxerit, & quod non secus intelligi ea debeat, vel inde patet, quod Sanctus idem Doctor in libello de Incarnatione Verbi contra Paulum Samosatensem aliquanto à principio hæc habet: *Qui secundum Paulum, in similitudinem Hominum fuit, & forma inventus est ut homo: Homo verò una Persona, & unum Animal est ex spiritu, & carne, ad cujus similitudinem intelligendum est, Christum unam non duas Personas esse*.

95. Pari modo ad solum finem comparandi unitatem Personæ eodem hoc exemplo utitur Sanctus Gregorius Nazianzenus, qui Oratione 51. ad Cledonium Presbyterum (*num. 6.*) ita loquitur: *Quamquam enim Deus, & Homo duæ Naturæ sunt, quemadmodum anima, & corpus, non tamen duo Filii nec Dii, quemadmodum nec hic quidem duo Homines*. Sanctus item Augustinus in Epistola tertia, eadem utitur, & ad eundem finem comparatione,

ratione, dum longe post medium ait: *Nam sicut in unitate Personæ anima unitur Corpori, ut homo sit, ita in unitate Personæ Deus unitur Homini, ut Christus sit*. Idemque repetit *in tractatu septimo in Joannem, & sermone* 8. *de verbis Apostoli*.

96. Venio nunc ad doctrinam S. Cyrilli. Similitudine hac utitur S. Doctor in Epistola prima ad Successum, & sæpe alibi, sed semper ad præfatum finem declarandi contra Nestorium, unam tantum Personam esse in Christo, ut liquido apparebit. Agit in dicta Epistola contra ejus errorem, qui duas in Christo Personas ponebat, illumque dividendo duos esse Filios dicebat, unum Dei, alium B. Mariæ Virginis; itaque cum versus medium dixisset: *Propter unitatem vero non sequestramus Naturas ab invicem nec in duos Filios, unum, individuumque partimur, sed confitemur unum Filium*: Hæc in comprobationem subjungit: *Et si placet hujus compositionis etiam ex nobis ipsis juxta quod sumus Homines, accipimus exemplum. Compositi enim ex anima constamus, & corpore, duasque intuemur Naturas; altera quidem corporis, altera vero animæ, sed unus homo* (non ait, sed una Natura) *secundum unitatem ex Natura utraque subsistens compositus duarum Naturarum*. Ex quibus evidenter apparet, quòd S. Cyrillus hac similitudine usus tantum fuit, ut comprobaret, quòd sicut ex anima, & corpore unus tantum Homo, & una Persona resultat, non duæ; sic ex Divinitate, & Humanitate unus tantum Christus, non duo, unusque tantum Filius non duo, resultat. Et quod quotiescumque utitur hoc exemplo, & similitudine, ad alium finem non utitur, nisi ut contra Nestorium demonstret, quod ex utraque Natura in Christo non resultant duæ Personæ, & duo Filii, ut ipse dicebat, sed una tantum Persona, & unus solus Christus. Præclare idem testatur in scholiis de Incarnatione cap. 7. ubi in fine ait: *Nam sicut corpus alterius est Naturæ præter animam, Unus tamen ex utroque homo efficitur, & vocatur, ita etiam ex præfata Dei Verbi subsistentia, & humanitate perfecta unus est Christus*.

97. Cumque jam teneatis, Dilectissimi, nec S. Athanasium, nec S. Cyrillum præfata comparatione usos esse ad probandum, quòd una sit Natura in Christo, sufficit ut videatis, quod iidem tanquam insignes Philosophi, & Theologi ea similitudine uti non poterant ad probandam unam in Christo Naturam, nisi graviter errando, quod nefas dictu est. Precor autem vos, ut iterum videatis, quod dictum est à *num.* 62. usque ad *num.* 67. ubi demonstravi quod cum ex duabus Naturis perfectis, juxta regulas omnes Philosophiæ, & Patrum doctrinam, una nova Natura resultare non possit, & Natura Divina sit perfectissima, & Verbum Divinum Naturam Humanam in ratione talis perfectam etiam assumpserit, ut ex S. Athanasio, & Epiphanio ibidem vidistis, & ex S. Cyrillo in proxima authoritate num. præcedenti etiam habetis, inde convincitur, quod nec S. Athanasius, nec S. Cyrillus poterant hac similitudine uti ad probandum, unam solam Naturam esse in Christo, nec de eo cogitare contra torrentem omnium SS. Patrum Græcorum, & Latinorum.

98 Et tamen Eutyches pro suo arbitrio, quia hac similitudine SS. Doctores nedum Athanasius & Cyrillus, verum etiam fere omnes SS. Patres utuntur ad fines supra allatos, & quidem tam diversos, credidit sibi esse licitum applicare dictam comparationem ad unam naturam, quod & vestri, Illustrissimi Domini, etiam credunt, quando eadem similitudine ad eundem finem utuntur, ac si liberum esset similitudines pro libito applicare ad omne id quod deduci ex iis potest. Si enim nobis liberum hoc esset, mille certè hæreses, & errores ex præfata similitudine inferri deducique possent; siquidem deduci, inferrique ex ea posset, quod

quod ſicut anima rationalis, & caro unus eſt Homo pura Creatura; ſic Deus, & Homo unus eſt Chriſtus pura item Creatura. Poſſet inferri, quod ſicut anima rationalis, & caro unus eſt Homo corruptibilis, ita Deus, & Homo unus eſt Chriſtus corruptibilis. Poſſet inferri, quod ſicut anima rationalis, & caro unus eſt Homo, habente ſe anima tanquam forma, & carne tanquam materia, ita Deus, & Homo unus eſt Chriſtus, habente ſe Deitate tanquam materia, & Humanitate tanquam forma; & ſic aliæ quamplurimæ Hæreſes ex præfata ſimilitudine inferri poſſent, ſi pro libito applicarentur ſimilitudines ad id omne, quod poſſunt ſignificare.

99. Quamobrem S. Epiphanius de ſimilitudinibus loquens quibus Sacra Scriptura utitur, nos monet, quod earum applicatio intelligenda eſt juxta id, de quo agitur, dum ait: *Non omnis ſimilitudo in Scriptura accipitur .... ſed ſemel juxta id quod dictum eſt*. Et de prædicta ſimilitudine compoſitionis Hominis, qua uti ſolemus ad declarandum Divinæ Incarnationis Myſterium, loquens Divus Juſtinus Philoſophus, & Martyr, qui eadem & ipſe utitur: *Sunt*, ait, *qui hanc unitionem qualem anima cum corpore intelligant, atque ita doceant, & convenit exemplum ſi non omninò ſaltem in parte*: Et prolixe declarans tanquam magnus Philoſophus, hanc differentiam, eam eſſe ait, quod ex anima, & corpore reſultat unum compoſitum, una Natura, ac unum totum diſtinctum a ſuis partibus (quod accidit in omni compoſito juxta unanimem Philoſophorum doctrinam) quæ res minime contingit in unione Divinitatis, & Humanitatis. Nam ut idem S. Juſtinus docet: *Chriſtus non ex Deitate, humanitateque Chriſtus factus eſt, cum non ſit diverſus ab his duobus, ſed utrumque, & Homo, & Deus*. Quæ magis, ac magis confirmant quod nuper diximus, quia cum Deus, & Homo ſint duæ Naturæ perfectæ, ex iis Chriſtus fieri non poterat unum compoſitum, & una alia natura; quare poſt diffuſam hujus rei declarationem concludit. *Itaque Hominis exemplum partim recipiendum, partim fugiendum eſt*: quod & mire confirmat S. Gregorius Nazianzenus (*oratione* 51.) longe à principio, qui cum dixiſſet in homine duas naturas eſſe, ut vidimus numero 71. hæc poſtea ait: *Juxta hunc ſermonem etiam ex duabus naturis Chriſtus dicetur, non tamen ut in anima & corpore res ſe habet*. Ad declarandum quod licet ex Anima, & Corpore una Natura reſultet, non ſic ex duabus Naturis in Chriſto.

100. Hucuſque demonſtravi quomodo ex præfata ſimilitudine compoſitionis hominis nihil deduci poſſit ad unam naturam in Chriſto comprobandam. Modo, Dilectiſſimi, Veſtri Nationales videbunt, quomodo ex ea potius demonſtretur, duas Naturas eſſe in Chriſto, & non unam tantum. Et licet pro hoc oſtendendo ſufficere deberet, quod Eccleſia Catholica Romana, quæ duas Naturas in Chriſto tanquam rem de fide certam credit, utitur hac eadem ſimilitudine ad declarandum id quod eſt in Chriſto Domino, quandoquidem cum Symbolo S. Athanaſii fatetur, quod *Sicut Anima rationalis & Caro unus eſt homo, ita Deus & homo unus eſt Chriſtus*. Namque ea ſimilitudine certe non uteretur nec Symbolum S. Athanaſii in officio Divino insereret ſi ex dicta ſimilitudine inferri poſſet, unam in Chriſto reſultare naturam ex Divinitate, & Humanitate, ſicut ex Anima rationali, & Corpore una Natura hominis reſultat. Licet inquam hoc ſufficere poſſet, quatenus ex eo convincitur, quod Eccleſia bene agnoſcit ex hac ſimilitudine impugnari dictas duas Naturas non poſſe; tamen alia ratio potentior concurrit ad demonſtrandum, ex dicta ſimilitudine etiam poſitive probari duas Naturas in Chriſto, nam cum ex Anima rationali & carne unus homo reſultet cum duabus Naturis incompletis, ex qui-

bus componitur ut demonstratum est nn. 68. & *seqq.* ex SS. Justino, Nazianzeno, Cyrillo, Basilio, Athanasio, & Augustino, & ex vera Philosophia, inde est, quod propriissime ex hac similitudine comprobatur, duas Naturas in Christo esse. Ex quibus omnibus nedum plenè satisfactum videtur huic primo Eutychetis argumento desumpto à compositione hominis, quo fundari prætenditur una tantum Natura in Christo; verum etiam demonstratum, ex ipsa hominis compositione duas Naturas in Christo post unionem confiteri oportere.

§. VIII.

Satisfit alteri Eutychetis argumento desumpto ex eo, quod SS. Athanasius, & Cyrillus dixerint, Christum Dominum esse unam Verbi Naturam incarnatam.

101. Venio nunc, Illustrissimi Domini, ad aliud argumentum, quod est secundum fundamentum cui nititur Nationalium vestrorum opinio de una in Christo sola Natura, & quo pro utroque suo errore Eutyches utebatur, cui, & Vestri, qui in primo errore eum impugnant, tenentur etiam respondere. Hoc desumitur, ex epistola prima S. Cyrilli ad Successum, in qua ante medium ita loquitur: *Propter unitatem verò non sequestramus Naturas ab invicem, nec in duos Filios unum individuumque partimur, sed confitemur unum Filium, & sicut Patres asseruerunt, unam Verbi Naturam dicimus Incarnatam.* Quod & alibi multoties repetit: ita pariter loquente S. Athanasio, ut infra videbimus. Dum enim illam ibidem vocem legunt *unam Verbi Naturam*, putant Sanctissimum Patriarcham unam tantum Naturam in Christo admisisse: Ego verò magnopere admiror, quod ii non observent, non dixisse S. Cyrillum *unam Verbi Naturam* absolutè, sed *unam Verbi Naturam Incarnatam*; ut ex hoc inferre prætendant, unam tantum Naturam S. Cyrillum agnovisse in Christo, quando observare debebant, quod non dixit *unam Verbi Naturam*, sed & addidit *Incarnatam*, quod, ut jam vidibitis ex ipsomet S. Cyrillo, idem est, ac duas Naturas confiteri.

102. Sed hoc novum non est; tempore enim ejusdem S. Patriarchæ Nestoriani dissimulantes illud verbum *Incarnatam*, ejusque sensum, dicebant, quòd unam tantum Naturam, & hanc Divinam, in Christo admittebat, & sic Apollinaristam esse, quia eo modo dicendi commixtionem, confusionem, & suppressionem Humanæ Naturæ fatebatur, de quo S. Doctor conqueritur in Epistola secunda ad Successum, ubi aliquanto longe à principio hæc ait: *Superfluis igitur sermonibus immorantur qui dicunt: Si una Verbi Natura est Incarnata, hoc consequitur omnimodis, ut permixtio, confusioque generetur, velut imminuta, suppressaque humana substantia:* Et sic calumniæ satisfacit: *Non enim minuitur, ut æstimant, neque supprimitur. Sufficit autem ad significantiam facti Hominis fateri, quod Incarnatus est; Hoc enim si taceretur à Nobis, haberent aliquem colorem eorum calumniæ:* Et infra: *Si enim unam dicentes Naturam Verbi, taceremus non inferentes Incarnatam: Si negaremus dispensationis arcanum, forsitan eorum sermones aliquid persuasionis adferrent simulantes interrogare, ubi perfectio in Natura humana, aut quomodo subsistat nostra substantia? Quia vero perfectionis, quæ constat ex humilitate essentiæ nostræ, declaratio profertur per hoc quod dicitur Incarnata, desinant arundineum sibi supponere baculum.*

103. Quod ergo idem sit, dicere S. Cyrillum *unam Verbi Naturam Incarnatam*, ac duas confiteri Naturas, unam Verbi, alteram carnis, patet ex mente, & declaratione ipsius S. Doctoris, qui apertè declarat, voluisse dicere Verbum secundum Naturam suæ subsisten-

sistentiæ, quæ est idem cum Verbo, Humanæ Naturæ unitum fuisse, ut ipsemet S. Cyrillus ait, in defensione secundi ex duodecim suis Anathematismis contra Theodoretum in defensione Anathematis 2. & extat in Concilio Ephesino. In dicta siquidem defensione hæc habet: *Nos dictis* (Nestorii) *repugnantes, secundum subsistentiam unionem dicimus factam; verbo hoc* SECUNDUM SUBSISTENTIAM, *nihil aliud demonstrante, nisi solum* VERBI NATURAM SIVE SUBSISTENTIAM, QUOD EST IPSUM VERBUM, HUMANÆ NATURÆ VERE UNITUM *sine ulla conversione, atque confusione sicuti sæpissimè diximus* UNUM INTELLIGI, ET ESSE CHRISTUM EUNDEM DEUM, ET HOMINEM. Ex quibus liquido constat, S. Cyrillum pro eodem habuisse unam Verbi Naturam incarnatam, ac unum Verbum secundum suam subsistentiam incarnatum, sequendo modum, quo Evangelista Joannes in suo Evangelio nos docet Mysterium Incarnationis, dicens: *Verbum caro factum est*: Quo utraque Natura exprimitur, Dei scilicet carnem assumentis, & Hominis assumpti.

104. Quod & sæpè alibi repetit. Nam lib. 4. in Joannem cap. 18. hæc habet: *Quum igitur missum se esse Filius dicit, Incarnatum se esse, & nihil præter hoc aliud denotat*: INCARNATUM *autem Verbum Dei cum dicimus, totum se hominem assumpsisse intelligimus*. Et alibi in proxime laudata Epistola 2. ad Successum Isauriæ Episcopum aliquanto à principio ita loquitur: *Nam si unus dicitur Unigenitus Filius Dei Incarnatus, & Homo factus, non ideo juxta quod illis videtur, permixtus à nobis adferitur. Neque enim substantia Verbi in Naturam Carnis ulla ratione transfusa est, nec carnis in Verbum, sed in sua proprietate utraque permanente Natura, atque intelligenda juxta rationem, quam nuper dedimus* (hoc est sine divisione, & separatione, ut proximè dixerat) *incomprehensibiliter, atque ineffabiliter unita creditur,* UNAQUE FILII NATURA, *ut diximus, à nobis Incarnata memoratur .... SUFFICIT AUTEM AD SIGNIFICANTIAM FACTI HOMINIS FATERI, QUOD INCARNATUS EST*. Et infra: *Si autem, ut dixi, in eo quod incarnatus adseritur, certa & indubitata confessione, quod Homo factus sit, indicatur; nihil ultra vetat intelligi, quod unus, & solus existens Filius Christus ipse sit Deus, & Homo, sicut in Deitate, ita etiam in humanitate perfectus*: Et multo inferius: *Duarum namque Naturarum unitionem factam prorsus adserimus; verumtamen unum Christum, unum Filium, unum Deum rectissimè confitemur. Verbum namque caro factum est secundum Scripturas*: Et infra: *ECCE MANIFESTE QUI RECTÆ FIDEI CONFESSIONEM DEPROMIT, DUAS QUIDEM NATURAS APPELLAT*.

105. Et alibi Epistola prima Presbyteris, Diaconis, & Monachis &c. (§. *Hæresum inventores*) sic fatur: *Verum Divina Scriptura Verbum hoc quod ex Deo est carnem factum, hoc est Naturam Verbi cum carne animam habente conjunctam esse dicit*. Et alibi ad religiosissimas Reginas de recta Fide, ut legimus in Concilio Ephesino (*part. 1. cap. 5.*) his verbis eas alloquitur: *Jesus Christus non aliud quàm Dei Patris Verbum Incarnatum, Hominemve factum*: Idemque in Epistola ad Joannem Antiochenum Episcopum, quæ pariter legitur in dicto Concilio Ephesino (*par. 3. cap. 34.*) hæc scribit: *Duarum Naturarum facta est unio, & propterea unum Christum, unum Filium, unum Dominum confitemur secundum hunc inconfusæ unitatis intellectum, Sanctam Virginem Deiparam esse confitemur; propterea quod DEUS VERBUM INCARNATUM, ET HOMO FACTUM*. Et concludit hæc dici oportere sequendo mentem SS. Patrum, præcipuè S. Athanasii, *Sanctorum*, inquiens, *Patrum maxime autem Beati celeberrimique Patris Nostri Athanasii sen-*

tentias ubique sequamur, & caveamus, ne vel minima in re ab ea declinemus.

106. Quæ omnia clarissimè ostendunt, non intendisse S. Cyrillum unam dumtaxat Naturam adstruere, ubi dixit unam Verbi Naturam Incarnatam. Et sanè clarior hujus rei demonstratio dari non potest illa, quæ desumitur ex prima eadem ad Successum Epistola prope medium, unde argumentum ipsum est deductum. Quandoquidem in ea S. Patriarcha verbis utitur tam apertis, ut omne dubium, æquivocationemque cunctam de medio evidenter tollat: Ea verò sunt: *Nam si negamus, quod ex duabus diversisque Naturis unus & solus Christus sit post Unitatem indivisam existentibus, DICANT, QUI RECTÆ FIDEI CONTRADICUNT, SI UNA NATURA TOTUS EST CHRISTUS, QUOMODO FACTUS EST HOMO, AUT QUAM CARNEM FACERE DIGNATUS EST PROPRIAM?* Quibus certè verbis sic stantibus, appositis post verba ex quibus argumentum desumitur, quis, Illustrissimi Domini, non mirabitur, quod tam confidenter Nationes Vestræ asserant, quod S. Cyrillus unam tantum in Christo Naturam agnoverit, eo quod affirmavit Christum esse unam Verbi Naturam Incarnatam, quando ne dum in omnibus proximè citatis locis, in quibus iisdem verbis utitur, duas aperte Naturas in Christo confitetur, verum etiam in hoc ultimo citato loco ait rectæ Fidei contradicere, qui unam tantum Naturam in Christo ponunt.

107. Sed quia observo, quòd ex illis verbis, *una Verbi Natura Incarnata*, oritur tota vestrarum Nationum æquivocatio, operæ pretium existimo declarare, quare S. Patriarcha sequendo S. Athanasium (de quo infra) his utitur verbis. Quod de facili agnoscent si observent, quod Sanctus Cyrillus in omnibus citatis locis in quibus ait, Christum esse unam Verbi Naturam Incarnatam, agit contra Nestorium, qui licèt duas in Christo Naturas confitebatur, eas tamen ponebat distinctas, & separatas, & unamquamque earum cum sua propria subsistentia, duas Personas in Christo constituendo, & duos Filios, unum B. Virginis Mariæ purum Hominem, & alterum Filium Dei, hosque duos Filios ponebat unitos, non unione Physica, sed quadam unione affectiva, & mystica, qualem justi, & perfecti habent cum Deo per conformitatem voluntatum, & sic ex utroque Filio, & utraque Persona, unum Christum resultare dicebat. Et consequenter ad suum errorem concludebat, quod Beatissima Virgo vocari non debebat Mater Dei, & insuper dicebat, quod Filius Mariæ, tanquam purus Homo, non erat adorandus eadem latriæ adoratione, qua Deus adoratur, ut latè refert *in Epistola prima ad Successum in principio*, ex qua eadem Epistola desumitur argumentum præsens, quia in ea dicit Christum esse unam Verbi Naturam Incarnatam, Nestorium impugnans, & illum instruens, ut unum solum Filium, unum solum Christum, & unum solum Dominum, & non duos confiteatur, quapropter ait, de Christo Domino dicendum esse *unam Verbi Naturam Incarnatam*, quod, & alibi pluries repetit insurgendo contra hunc errorem.

108. Hoc supposito, facili negotio intelligitur, cur de Mysterio Incarnationis loquens, & se oponens duabus Christi Naturis sic separatis ab hoc Hæresiarca adstructis, conveniens crediderit, præfatis verbis Mysterium exprimi oportere. Namque exemplo ductus Evangelistę Joannis, qui his solis verbis *Verbum caro factum est* totum Mysterium Divinæ Incarnationis declaravit, eadem brevitate verborum optimè credidit uti convenire de hoc Mysterio loquendo, & ad verba S. Joannis addere illud verbum *una*, dicendo: *una Verbi Natura Incarnata*, quia sic & fatebatur duas in Christo Naturas, unam Divini Verbi, & alteram

teram carnis, seu humanitatis; Et insuper nos docebat, hoc Mysterium ita frequenter declarari oportere, ut *Unum* tantum ex Naturis Divina, & Humana constitutum contra errorem Nestorii significaretur, & sic semper dicatur unus Christus, unus Dominus, vel ambas Naturas clariùs significando *una Verbi Natura Incarnata*, ut sic magis, ac magis Nestorium confundendo, ab eo etiam in vocibus recedere possemus, & usu breviorum horum verborum una Verbi Natura incarnata, nostram Fidem explicando majorem oppositionem illi facere possemus. De quo edoctus a S. Athanasio fuit, qui impugnans Paulum Samosatensem, qui primo eundem fere Nestorii errorem docuerat, eisdem verbis usus fuerat eos reprimendo, ut jam expono.

109. Sanctus ergo Patriarcha Athanasius, ut in Concilio Ephesino (*parte* 1. *cap.* 4.) legimus hæc habet: *Agnoscimus illum Dei Filium, & Deum esse secundum spiritum: Filium autem Hominis secundum carnem, non duas Naturas unum Filium, unam adorandam, & alteram non adorandam, sed unam Naturam Divini Verbi incarnatam, quæ simul cum sua carne una adoratione adoratur, neque duos rursus Filios &c.* Ex quibus verbis, Dilectissimi, simile Vestri efformant argumentum, quod ex verbis S. Cyrilli efformabant; sed ut ampliùs & ampliùs, ultra jam superiùs dicta, quæ sufficiebant, de medio omnem eorum æquivocationem tollam, necessarium puto præmittere, quod Sanctus Athanasius tum in Oratione unum esse Christum, tum in libro de Incarnatione Christi, frequentissimè agit contra Paulum Samosatensem, qui, ut dixi, ante Nestorium duas Naturas, ac duas Personas in Christo ponebat, unam adorabilem, & alteram non adorabilem. Ait enim S. Doctor in Oratione unum esse Christum non longe a principio: *Pro una subsistentia Domini Nostri Jesu duas subsistentias, & duas Personas .... Quod si denuò exactè animadvertas, & rebus ipsis oculos intendere velis, deprehendes, eos extra Trinitatem summovere Dominum nostrum Jesum Christum, ut mancipium, & hominem inadorabilem, ac potius adorantem, & una cum cæteris omnibus inservientem, & subjectum S. Trinitati, ut Marcellus, & Paulus Samosatensis.* Et in libro de Incarnatione Christi, conqueritur etiam de eo, quod denegetur humanitati Christi Domini eadem adoratio, qua adoratur ejus Divinitas, itaque longe a principio ait: *Respondetis: Nos rem creatitiam non adoramus. O stulti, cur non cogitatis creato Domini Corpori offerri debere adorationem ejus, qui increatus est? Et quia increati corpus factum est, ideo ejus corpus dicitur, cujus factum est.*

110. Hoc supposito, nescio quid inferre ex his verbis Vestri favore unius Naturæ possint. Nam duo ait S. Athanasius: unum in Christo unico Filio, non esse duas Naturas, unam adorandam, & alteram non adorandam, quod, & nos, & Catholici omnes fatemur, cum ambæ Naturæ una latriæ adoratione adorandæ sint, ut ait S. Doctor. Sed ex hoc quomodo possunt inferre duas Naturas Athanasium negasse in Christo, ex eo solo, quia prima verba sonant *non duas Naturas*, ac si aliud non exprimeret. Si enim de duobus Hominibus, qui essent æque docti, & sapientes, aliquis mihi diceret ex illis duobus unum esse verè doctum, & sapientem, alterum verò non, sed ignarum, & ego responderem, *non sunt duo, unus sapiens, & alter ignarus, sed uterque est æque sapiens*, posset ne inferri, & dici, me negasse, quod sint duo Homines? Certè non.

111. Pariter ergo dicendum est de modo loquendi S. Athanasii, qui eo utitur modo loquendi, quia ibidem impugnat Paulum Samosatensem, qui ut dixi primò docuerat errorem, quem postea evulgavit Nestorius, & cum hic diceret in Christo esse duos filios, unum Dei, alterum B.M.Virginis, & duas naturas, unam adorandam, alteram non ado-

adorandam, ut jam vidimus, sic illum impugnans, ait: *Non duas naturas, unam adorandam, & alteram non adorandam .... neque duos rursus filios*.

112. Et sic loqui eum conveniebat ob rationem dictam numero precedenti, ut nos doceret, propter errorem de duabus Naturis duas Personas constituentibus, & non æquè adorandis, quem impugnat, oportere uti terminis, qui non cohæreant cum illis, quibus Hæretici utuntur, sed terminis, vocibusque quoad sonum contrariis, unum significantibus, quæ tamen contineant, & sufficienter exprimant confessionem duarum Naturarum. Itaque S. Patriarcha loco citato, nonnullis clausulis interjectis sic dictum errorem anathematizat: *Si quis autem aliud ex Divinis literis docuerit, & alium Dei Filium, alium rursum illum, qui ex Maria progenitus est, & per gratiam instar nostri adoptatus, professus fuerit, tanquam duo sint Filii, alter Dei, secundum Naturam, ille videlicet, qui ex Deo natus est, alter ejusdem rursum secundum adoptionis gratiam, Homo nimirum, qui ex Maria extitit &c. hunc anathemate plectit Sancta, & Catholica Ecclesia ab Apostolo persuasa*. En, Illustrissimi, rationem, quare S. Athanasius usus est eo modo loquendi, impugnans eos, qui duas Naturas, & duos Filios in Christo ponebant.

113. Alterum quod docet in præfata authoritate S. Athanasius, est, dicendum esse Christum esse *unam Naturam Divini Verbi incarnatam*; & ex hoc nedum non infertur S. Athanasium unam solam Naturam in Christo confessum fuisse, sed potius infertur Sanctum Doctorem fassum esse duas in unione conjunctas, ut jam vidimus loquendo de S. Cyrillo. Et prudentissimè hoc brevissimo modo loquendi eas expressit propter proximè allatam rationem loquendo de S. Cyrillo, nam impugnando duas separatas Naturas adorandam unam, & non adorandam alteram, duos Filios, duasque Personas quas Paulus Samosatensis defendebat, propriissime ait: *Non esse duas Naturas unam adorandam, & alteram non adorandam, sed unam Naturam Divini Verbi incarnatam, quæ simul cum sua carne una adoratione adoratur, neque duos rursus Filios*, quin super hoc quicquam opus sit adjungere. Præsertim, quando, præter dicta, tot sint horum Sanctorum Doctorum authoritates expositæ §. 3. per totum, in quo planè duas in Christo Naturas confitentur, semper adjiciendo inconfusas, & inseparabiliter unitas, ex quibus unus Filius, ac unus Christus, unusque Dominus, & una Natura incarnata resultat, unitatem contra Paulum Samosatensem, & Nestorium semper significando.

114. Et sanè, Illustrissimi Domini, tam longe à veritate se habet, quod ex dictis SS. Athanasii, & Cyrilli *unam Verbi Naturam incarnatam*, Christum esse, dicentium, possit deduci unam tantum Naturam in Christo esse, quod potius ex illis deducitur & amplius probatur, duas esse in Christo Naturas, unam Divini Verbi carnem assumentis, & alteram carnis, seu humanitatis assumptæ, & quod sic intelligantur, & semper intellecta fuerint in Ecclesia Catholica præfata verba, vel ex eo solo agnoscere, & confiteri Nationales vestri debent, quod si certum, & indubitabile hoc non esset, vel aliquod dubium pati posset horum verborum intelligentia, Ecclesia Catholica Romana, quæ uti de Fide confitetur, & docet, in Christo duas esse Naturas, sub anathemate non præciperet, ut nos quoque confiteamur, Christum esse unam Naturam Verbi incarnatam, & tamen in Concilio Lateranensi sub S. Martino I. celebrato de anno 649. ad id confitendum nos cogit, & obligat (*Consultat. 5. Canone 5.*) qui sic se habet: *Si quis secundum Sanctos Patres non confitetur propriè, & secundum veritatem VNAM NATVRAM VERBI INCARNATAM per hoc quod incarnata dicitur nostra substantia perfectè in*

in Christo Deo, & indiminutè absque tantummodo peccato significata, condemnatus sit. Quid ergo amplius desiderare Nationes vestræ possunt ad hoc credendum, vel quam majorem probationem expectare tam pro hoc argumento, quam pro antecedenti, quod deducebant ex comparatione compositionis Hominis ad cognoscendam suam maximam æquivocationem in intelligentia verborum, quam videre, quod Ecclesia Catholica Romana, quæ uti veritatem de Fide fatetur, credit, & docet duas Naturas in Christo, se credere ait, & fatetur cum iisdem Sanctis Patriarchis Athanasio, & Cyrillo, quod *Sicut anima rationalis, & caro unus est Homo, ita Deus, & Homo unus est Christus*: Et eundem Christum *Unam Verbi Naturam incarnatam*. Et hoc sufficiat pro utroque argumento, seu æquivocatione.

§. IX.

Satisfit argumento, quod si duæ Naturæ essent in Christo Jesu, duæ essent Personæ.

115. DEvenio jam, Illustrissimi Domini, ad aliud argumentum, quod Eutyches formabat, & quo vestri Nationales passim utuntur ex eo capite desumptum, quod admittendo in Christo duas Naturas, opus esset admittere duas Personas, quod tam constanter multi defendunt, ut non recusent Nestorianos eos vocare, ut §. 1. vidimus, qui duas Naturas in Christo confitentur. Nam ut video, credunt, quòd idem sit Natura, seu essentia, ac hypostasis, seu subsistentia, quando Sancti Doctores de opposito eos docent, & dicunt, quòd aliud est Natura, seu essentia, & aliud hypostasis, seu subsistentia, per quam Persona constituitur. Audiant S. Athanasium, qui in libello ad Antiochum de plurimis, & necessariis quæstionibus, ait: *Aliud est Natura, aliud hypostasis*. Et longe infra: *Essentia quidem, Genus, Natura, & forma, sicut dictum est, idem sunt. Persona item, character, hypostasis, individuum, & proprium etiam ipsa unum sunt*: & infra: *Una quædam communis est Hominum Natura humanitas, hypostases verò sunt Paulus, Petrus, Thomas, & aliæ Personæ*. Audiant etiam Sanctum Basilium Magnum epistola ad Amphilochium aliquanto longe a fine. *Essentia ab hypostasi, idest subsistentia, hanc habet differentiam, qualem habet id quod commune est ab eo, quod ad unumquodque est, & quomodo se habet animal ad quendam Hominem*. Et S. Anastasium Sinaitam Patriarcham Antiochenum in Catechesi supralaudata, composita ex operibus S. Cyrilli Alexandrini in fine. *Essentia quidem sive Natura id quod commune est designat, hypostasis autem, seu Persona, quod singulorum proprium est declarat..... Petrus, & Paulus ejusdem sunt Naturæ, hypostasibus autem diversis*.

116. Supposito ergo, quod aliud sit Natura, seu essentia, & aliud hypostasis, seu subsistentia, cum Fide edoceamur, quod Verbum Divinum Naturam nostram assumpsit sine sua propria subsistentia, seu hypostasi, ut & ipsi vestri Nationales fatentur, ne duas Personas in Christo ponant, dicant mihi, ex quo inferunt, quod si duæ Naturæ sunt in Christo, erunt duæ Personæ, quando humanam Naturam sine propria subsistentia Verbum assumpsisse nobiscum fatentur? Namque cum certum sit, quod Personæ multiplicari non possunt, nisi multiplicentur subsistentiæ, seu hypostases, quemadmodum in Mysterio Beatissimæ Trinitatis habemus, in quo tres Personas in una sola Natura credimus, quia Fides nos docet, hanc per tres distinctas subsistentias subsistere, inde agnoscere debebant, quod si nos, sicut & ipsi, non admittimus in Christo duas subsistentias, consequenter nec duas Personas admittere possumus.

117. Si

117. Si ex eo existiment, nos confiteri duas Personas debere, quia duas Naturas confitemur, & unaquæque Natura debet habere suam subsistentiam, vel etiam quia duæ Naturæ non possunt subsistere per unam eandemque subsistentiam (qua ratione unam tantum Naturam in Christo confiteri debere dicunt, ne duas Personas confiteri teneantur) certè si ineffabile Divinæ Incarnationis Mysterium fuisset opus naturale, & non miraculis plenum, optimè discurrerent, cum naturaliter nulla individua Natura inveniri possit sine propria sua subsistentia, nec naturaliter duæ Naturæ per unam solam subsistentiam possint subsistere. Sed si ex SS. Athanasio, Basilio, Chrysostomo, & Cyrillo edocti sunt de eo quod hoc Mysterium est ineffabile, inscrutabile, & opus totum Divinæ Omnipotentiæ ejusque infinitæ Sapientiæ: quid inferre prætendunt ex his, quæ naturaliter fieri non possunt ad ea, quæ miraculosè misericors Deus propter nos Homines, & propter nostram salutem sua Divina clementia, ac omnipotentia voluit in illo operari? Certè ex hoc capite negare possent Mysterium Divinæ Incarnationis, cum naturaliter fieri non possit, ut humana Natura hypostaticè uniatur Divino Verbo. Hoc sanè Mysterium imbecillitate nostra, rationibusque naturalibus scrutandum non est, sed profundè admirandum, & adorandum.

118. Audiant S. Patriarcham Athanasium in Oratione (*Unum esse Christum*) ante medium: *Non disquiro cur Deus, & Homo, ne CURIOSIUS INQUIRENDO CUR, ET QUOMODO, DECIDAM A' BONIS NOBIS PROPOSITIS. Primum enim credere oportet, & glorificare, & secundo in sublimi rationem istarum rerum petere, non humi, ex sanguine, & carne conquirere, sed ex revelatione Divina, & Cœlesti. Beatus enim es Simon Bariona, quia caro, & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus Cœlestis.* Audiant Sanctum Basilium Magnum (*homilia 25. de Christi Generatione*) prope finem: *Cogita de incarnatione Domini magnificè; intellige Divinitatem esse intactam, & immaculatam, quæ & si in materiali sit Natura, ita illi inest, ut ejus imperfectum, fragileque corrigat. . . . Quid igitur dubitas de immensa, incorruptaque Natura. . . . . O Dei bonitatem altissimam! ob beneficiorum excellentiam ei, qui benefecit, minimè credimus, ob ejus ingentem humanitatem ad servitutis jugum ducimur; o absurdam, & pravam ingratitudinem! Magi adorare veniunt: Et Christiani curiosiùs quærunt, quomodo in carne Deus sit.* Audiant S. Joannem Chrysostomum homilia 10. in Joan. dicentem: *Unitatem hanc, & conjunctionem, unum est Deus Verbum, & Caro, non confusione, aut interitu substantiarum, SED ARCANA QUADAM, ET INEXPLICABILI UNITATE. QUOMODO AUTEM HOC SIT, NOLI DISQUIRERE, FACTUM EST, UT IPSE NOVIT . . . . Quæ oratio, quæ mens, quantum honorem humano Generi Deus exhibuit, mirificum profectò & admirandum potuisset? Quis Angelus, quis Archangelus? Nihil quod in Cœlis est, nihil quod in Terra. Ejusmodi in nos beneficia sunt tam magna, tam excellentia, ut non solum Mortalium linguam, sed Angelorum virtutem eorum exuperet explanatio.*

119. Audiant tandem S. Cyrillum de recta in Dominum nostrum Jesum Christum Fide ad Theodosium, quæ extat in Concilio Ephesino (*p. 1. cap. 3.*) *Affirmamus nihilo secus Naturas dispares, ac inter se dissimiles quadam coitione, & concursu QUI EXPLICARI NON POTEST in unum convenisse. Agnoscimus tamen unum esse Christum non duos.* Et alibi in Epistola ad Nestorium, quæ extat etiam in Concilio Ephesino (*part. 1. cap. 8.*) ubi hæc habet: *Asserimus autem Verbum dum carnem anima ratione prædita perfectam non secundum voluntatum, sententiarumque consensionem, neque rursus per humanæ Personæ assumptionem, sed secundum*

hy-

hypostasim inexplicabili, incomprehensibilique modo univit, & Hominem factum, & Hominis filium appellatum esse. Et quamvis Naturæ sint diversæ, vera tamen unione coeuntes, unum nobis Christum, & Filium effecerunt: Non quod Naturarum differentia propter unionem sublata sit, verum quod Divinitas, & humanitas SECRETA QUADAM INEFFABILIQUE CONJUNCTIONE IN UNA PERSONA UNUM NOBIS JESUM CHRISTUM, ET FILIUM CONSTITUERINT.

120. Si ergo de hoc ineffabili Mysterio ita SS. Patres loquuntur, quomodo, qui eos sequi frequenter fatentur, difficultatem ponunt in eo, quod duæ Naturæ miraculosè subsistere per eamdem subsistentiam possint, ut ex eo existiment, unam tantum Naturam in Christo esse confitendam, eo quod si essent duæ, unaquæque suam propriam subsistentiam habere deberet? Certè si hoc modo ratiocinari de divinis Mysteriis nobis datum esset, de Mysterio Beatissimæ Trinitatis dubitare possemus. Si enim Fide credimus, & credunt, unam solam Divinam Naturam tribus subsistentiis subsistere, tresque Personas in una sola Natura esse, quid dubitant, quod duæ Naturæ divinitatis, & humanitatis subsistere possint per unam solam Verbi subsistentiam, unaque sola Persona in iisdem Naturis resultet? Nam naturaliter loquendo, non minus necessarium est, quod unaquæque Persona habeat suam propriam Naturam, quam quod unaquæque natura habeat suam propriam subsistentiam; Et si in Deo, Naturis non multiplicatis tres Personas confitemur, cur in Christo Domino subsistentiis non multiplicatis in una tantum Persona duas Naturas confiteri renuunt?

121. Credo, Illustrissimi Domini, quod Nationes vestræ vim hujus argumenti agnoscendo existimant ab illo se evadere posse dicendo id ipsum, quod Eutyches dicebat, verum esse, *Christum ex duabus Naturis subsistere, & esse, sed non in duabus*, quia una sola Natura in eo est. Qua evasione adeo contenti manent, ac si hoc solo ludo verborum omnis difficultas de medio maneret sublata. Sed graviter errant, sicut Eutyches erravit, cum nec in minimo hac evasione à vi argumenti liberare se possint. Nam in primis parum proprium est dicere, Christum subsistere ex duabus Naturis, cum à Natura nemo subsistat, sed à subsistentia, & sic non est rigorosus modus loquendi, dicere, quod Christus subsistit ex duabus naturis, cum non subsistat, nisi ex una subsistentia, seu hypostasi; sed hoc omisso, quod parum ad rem pertinet, sequendo eumdem modum loquendi, quo utuntur, nescio quomodo componi possit, dicere, se sanctum suum Patriarcham Cyrillum in hac sua doctrina, & evasione sequi, quando S. Doctor literis rotundis apertissimè fatetur, Christum in duabus Naturis esse, & subsistere. In libro enim decimo Thesauri cap. 7. in fine hæc habet: *Unus profectò Dominus Jesus Christus, est, non duo, & unus hypostatice, atque personaliter IN DUABUS NATURIS. Deus enim hominem assumpsit, atque induit, & ideo dicitur Verbum caro factum esse.* Nec tanta authoritate opus erat ad hunc ludum vocum refutandum, cum intelligi, percipique non possit, quam differentiam, distinctionemve inveniant inter Christum esse, seu subsistere, ex duabus Naturis, & non in duabus Naturis. Nam si ex duabus Naturis subsistit, & est; opus est, ut in iisdem subsistat, & sit, nisi aliqua earum deficiat.

122. Ut patet in homine. Si enim sequendo eundem modum loquendi, iste subsistit, & suum esse habet ex Naturis suis incompletis, ex quibus componitur, anima videlicet, & corpore, necessariò subsistere, & esse debet in iisdem incompletis ex se naturis, ex quibus componitur, cum nulla ex illis deficiat, quatenus semper verificatur, esse in homine corpus, & animam rationalem, quæ sunt duæ Na-

Naturæ, licet incompletæ (quæ quia tales, & ordinatæ ad unam Naturam hominis componendam, unam in eo complent, & componunt) ergo si, uti dicunt, Christus subsistit, & est ex duabus Naturis completis, & nulla ex ipsis in ejus constitutione deficit, quomodocumque considerentur, necessario fateri debent in iisdem duabus Naturis completis subsistere. Quod etiam evidenter patet in Mysterio Beatissimæ Trinitatis, in quo rectè verificatur, quod Deus subsistit ex tribus divinis hypostasibus, seu subsistentiis, & in ipsis tres personas constituentibus consequenter fatemur subsistere, & esse; Cur ergo si de Christo dicunt, eum subsistere, & esse ex duabus Naturis, dicere consequenter non debent, subsistere in iisdem duabus Naturis? Certè majus est, tres personas subsistere in una sola Natura, quàm duas Naturas subsistere in una sola persona. Et si de fide credunt in Deo tres distinctas personas, quin ex eo multiplicent totidem Naturas; cur in Christo non credunt unam tantummodo personam, etsi duæ sunt Naturæ, in quibus subsistit, & ex quibus resultat.

123. Manet ergo ad evidentiam ostensum, ex confessione duarum Naturarum in Christo non sequi, admitti debere cum Nestorio duas in eo personas, sicut ex confessione trium Personarum in Deo non sequitur, quod tres Naturæ debeant in eo admitti. Unde jam Vestri videbunt, Dilectissimi, quàm immeritò eorum multi (quia de omnibus hodie id credere non possum) Nestorianos vocant eos, qui duas Naturas in Christo credunt, cum toto cœlo distet modus, quo Ecclesia Catholica Romana fatetur, in Christo duas esse Naturas, ut jam viderunt, ab eo, quo Nestoriani eas fingunt. Nec de hoc miror; quando nec Sanctissimus Patriarcha Cyrillus liber fuit ab ista nota, quam ei imponebant; sed audiant accusationem, & Sancti Doctoris responsionem.

124. Sanctus enim Doctor in *Commonitorio ad Eulogium Presbyterum Constantinopolitanum*, *quod extat in Concilio Ephesino* (*p.3. cap. 37.*), conquerens de eo, quod uti sequacem Nestorii ipsum judicarent, ex eo quod approbaverat, & laudaverat confessionem Orientalium de duabus Naturis in Christo, hæc habet: *Expositionem, quam Orientales fecerunt, reprehendunt nonnulli, ac dicunt, quamobrem Episcopus Alexandrinus illos toleravit, ac laudavit etiam cum duas Naturas nominarent? Qui autem Nestorium sectantur, eadem & ipsum sentire contendunt, eaque ratione, qui minus accuratè rem percipiunt in suam sententiam abripiunt. Verum iis, qui hoc nomine nos accusant, respondendum est non omnia quæ Hæretici dicunt, statim fugienda, ac repudianda esse; multa enim confitentur ex iis, quæ nos quoque asserimus. Exempli causa: Cum Ariani Deum Patrem Omnipotentem conditorem, ac Dominum esse dicunt, num ideo consequens est, ut ejusmodi confessiones aversemur? Sic, & de Nestorio quoque licet duas Naturas esse dicat, carnis, & Verbi Dei differentiam significans (est enim alia Verbi, alia carnis Natura) attamen unionem una nobiscum non confitentur. Nos enim illas adunantes, unum Christum, unum eumdem Filium, unum Dñm confitemur, unam postremò naturam incarnatam dicimus.* Et infra dat rationem, cur debeamus cum S. Athanasio duas Naturas confiteri inseparabiliter unitas, ex quibus unus Christus, ac unus Filius resultat.

125. Et subdit: *Verbum enim juxta Joannis vocem factum est Caro, sic autem paratos esse convenit, ut lectioni B. Papæ Athanasii attendant. Cum enim suo tempore nonnulli contenderent, ac dicerent, Deum Verbum ex propria Natura corpus sibi adaptasse, omni ratione confirmare conatus est Christi corpus non esse Verbo consubstantiale. Quod si Verbo consubstantiale non est, alia omninò, atque alia Natura sit oportet, ex quibus unus, ac solus Christus constitutus intelligatur. Nec illud ignorent, ubicumque unio nomina-*

minatur, ibi non unius tantum rei conjunctionem significari, sed vel duarum, vel plurium, earumque secundum Naturam inter se differentium: Si igitur unionem dicimus, carnis proculdubio intelligente anima præditæ, ac Verbi eam esse unionem fatemur: atque ita intelligunt, qui duas Naturas dicunt; attamen unione semel jam asserta, non amplius à se separantur.. quæ sunt unita, sed unus jam existit Christus, unaque ipsius Natura, at Verbi nimirum increati. Hæc confessi sunt Orientales, quamvis verbis aliquanto obscurioribus. (Quia ea cautela forsan non utebantur, qua S. Doctor, & Sanctus etiam Athanasius utebantur, semper subjungendi ad illa verba duas Naturas, illa alia, quæ unitatem ex illis resultantem significarent.) *Qui enim confitentur, illud ex Deo Patre Natum Unigenitum Verbum secundum carnem ex muliere natum esse, & S. Virginem Dei Genitricem, & unam esse personam, & non duos Filios, nec duos Christos, sed unum tantum; quomodo Nestorii opinionibus consentiunt? Nestorius enim in suis expositionibus simulat, se dicere unum tantum Filium, & unum solum Dominum esse, sed filiationem, ac Dominationem ad solum Dei Verbum refert. At ubi ad dispensationis Mysterium ventum est, rursus, ut alium Dominum seorsim hominem dicit ex Muliere natum, qui sola æqualis honoris dignitate conjunctus sit Verbo. Quandoquidem dicere Dei Verbum ob id Christum nominari, quod cum Christo conjunctionem habet, ut alius nimirum cum alio. At vero Orientales nihil ejusmodi dicunt, solùm autem voces discernunt. Discernunt autem ad eum modum, ut alias quidem Divinitati, alias verò humanitati, alias autem utrique communiter convenire dicant, quod simul habeant, quod Deo & homini conveniat, ita tamen, ut omnes de una eademque Persona dicantur. At non ita Nestorius, qui alias Verbo Dei seorsim, alias verò illi adscribit ex muliere nato, tanquam alteri Filio. ~~Manent ergo planè declarata, & soluta argumenta quibus utebatur Eutyches, licet adhuc sustineri curentur~~*. Quo nedum plene satisfactum huic argumento Eutychetis manet, sed etiam occasione illius amplius & amplius convictum ex SS. Athanasio & Cyrillo duas naturas in Christo inseparabiliter & inconfusè unitas esse admittendas. Venio jam ad conclusionem, quæ ex omnibus huc usque dictis deducitur.

§. X.

Conclusio, quæ ex omnibus hucusque dictis deducitur ubi agitur de Concilio Chalcedonensi

126. His igitur omnibus suppositis, audebunt jam, Illustrissimi Domini, Nationales vestri cum hac Sancti Cyrilli responsione Nestorianos vocare eos, qui cum Ecclesia Catholica Romana duas inseparabiles & inconfusas Naturas in Christo credunt, & confitentur? Audebunt pro sua unica Natura, quam in Christo Jesu fingunt, hunc suum Sanctum Patriarcham allegare, quando tam clarè defendit confessionem Orientalium de duabus Naturis? Audebunt negare in hac sua de una sola Natura, & confessione in Christo, non solùm se opponere suis sanctis Patriarchis Cyrillo, & Athanasio, ac omnibus Sanctis Patribus Græcis, & Latinis, qui Concilium Chalcedonense præcesserunt, sed, quod majus est, ipsimet confessioni, qua singulis diebus Deo in sua Liturgia, & frequenter in aliis laudatis confessionibus idipsum profitentur, & protestantur, quod & præfati Sancti Patres, & nos cum Ecclesia Catholica Romana, & cum eodem Concilio Chalcedonensi profitemur, protestamur, & credimus? Certè non audebunt cum nihil horum negare possint, nisi luci se opponendo.

127. Et his non obstantibus, & quod omni suo spiritu singulis diebus in Sacrosancto Missæ Sacrificio post consecrationem Christum Dominum sub velamine panis in manibus suis habentes, hanc suæ Fidei confessionem emit-

emittunt: *Credo Deo, & confiteor usque ad ultimum vitæ spiritum, hoc esse corpus vivificum Filii tui Unigeniti Domini Dei, & Salvatoris nostri, quod assumpsit ex Domina omnium nostrum Deipara pura, & Sancta Maria, fecitque illud unum cum divinitate sua absque confusione, commixtione, aut mutatione &c. Credo, Divinitatem ejus separatam non fuisse ab ejus humanitate nec momento quidem, aut ictu oculi &c. Credo hoc verè ita esse: Amen, Amen, Amen; Credo, Credo, Credo*; ut supra n. 3. Et in suo Lapide, seu Margarita pretiosa, dicendo: *Assumpsit Corpus, & Animam Rationalem sicut nos, & in omnibus nobis similem, excepto peccato, nec Divinitas in humanitatem, nec humanitas in Divinitatem mutata est. Non sunt duæ Personæ separatæ post unionem, quæ separationem non patitur, sicut dicunt communi consensu Sancti Athanasius, Cyrillus, Epiphanius &c.* ut supra n. 4. Et in Libro Fides Patrum repetendo. *Manent duæ Naturæ in unitate, quæ non destruuntur, nec separantur, neque vero illæ duæ Naturæ confunduntur, aut commiscentur*, ut supra num. 5. His inquam non obstantibus, & quod in his confessionibus nobiscum, & cum Concilio Chalcedonensi concordant, nescio, quo spiritu confessionem suam destruunt, unam tantummodo Naturam in Christo esse defendendo, & à suismet uniformibus confessionibus recedendo, hæresiarcham Eutychetem sequendo ab Ecclesia Catholica per tot secula se sequestrando, suis Patriarchis, & Ecclesiæ Græcæ, & Latinæ Doctoribus se opponendo, &, quod mirandum est, Sacrosanctum Chalcedonense Generale Concilium, in quo Eutyches damnatus fuit, rejiciendo, quando ab ipsomet S. Concilio de eodem edocentur, quod ipsi in sua Liturgia credere profitentur.

128. Certè incredibile apparet. Quis enim de florentissimis Nationibus credere hoc poterat, & tamen est certum, & indubitabile, sicut initio dixi, quod admittendo unam solam Naturam in Christo, suas destruunt confessiones, quæ prorsus uniformes sunt confessioni fidei S. Concilii Chalcedonensis, quod rejiciunt, & ut de hac uniformitate dubitare non valeant, expono Symbolum seu fidei confessionem, de qua cunctam Ecclesiam Sanctum Concilium docuit, & docet, ut ad evidentiam appareat, quod Sanctam Synodum rejiciendo, id ipsum rejiciunt, quod credere profitentur. Parte enim 2. actione 5. prope finem sic se habet fidei confessio: *Sequentes igitur Sanctos Patres, unum, eumdemque confiteri filium, & Dominum nostrum Jesum Christum consonanter omnes docemur, eundem perfectum in Deitate, & eumdem perfectum in humanitate, Deum verum, & hominem verum, eumdem ex anima rationali, & corpore consubstantialem Patri secundum Deitatem, consubstantialem nobis secundum humanitatem, per omnia nobis similem absque peccato: ante secula quidem de Patre genitum secundum Deitatem, in novissimis autem diebus eumdem propter nos, & propter nostram salutem ex Maria Virgine Dei Genitrice secundum humanitatem, unum eumdemque Christum, filium, Dominum Unigenitum in duabus Naturis inconfusè, immutabiliter, indivisè, inseparabiliter agnoscendum: nusquam sublata differentia Naturarum propter unitionem, magisque salva proprietate utriusque Naturæ, & in unam Personam atque subsistentiam concurrente; non in duas Personas partitum aut divisum, sed unum eumdemque Filium, & Unigenitum Deum Verbum Dominum Jesum Christum, sicut ante Prophetæ de eo, & ipse nos Jesus Christus erudivit, & Patrum nobis Symbolum tradidit. His igitur cum omni undique exacta cura, & diligentia à nobis dispositis, definivit Sancta, & Universalis Synodus alteram Fidem nulli licere proferre aut conscribere, vel componere, aut sentire, aut alios docere.*

129. Hanc fidei confessionem, Illustrissimi Domini, pro universa Ecclesia nobis dedit S. Concilium Chalcedonense: precor vos, ut eam conferatis cum

cum Fidei confessione vestræ Liturgiæ, & aliis etiam duabus cum illa uniformibus tum lapidis, seu Margaritæ pretiosæ, tum libri Fides Patrum, & videbitis quoad substantiam in nihilo differre. Tota enim hæc de ineffabili Mysterio Divinæ Incarnationis confessio ad hoc reducitur, nimirum, Christum Dominum esse verum Deum & verum Hominem, ex anima rationali, & corpore compositum, in omnibus nobis similem, ex Maria Dei Genitrice secundum Humanitatem natum, ejusdemque, & Dei Filium Unigenitum in duabus Naturis inconfusè, immutabiliter, indivisè, inseparabiliter agnoscendum, non sublata differentia Naturarum propter unionem, sed salva utriusque Naturæ proprietate in unam Personam, atque subsistentiam concurrente, non divisum nec partitum in duas Personas. Hæc est totius confessionis substantia, & hoc idem est quod in vestris confessionibus credere dicitis, & profitemini, ut eas perpendentes agnoscetis, & ego vobis jam demonstrabo.

130. Sed primum volo à vobis petere quo motivo rejicitis, reverenterque cum Catholica Romana Ecclesia non admittitis hoc Sacrosanctum Concilium, cum quo in vestris confessionibus concordatis? Est ne quia ante Fidei confessionem S. Concilium damnavit errores Eutychetis, dum in eodem Symbolo referens omnes exortas hæreses erga Mysterium Divinæ Incarnationis, & inter alias *confusionem, & commixtionem introducentes, & unam Naturam esse Carnis, & Divinitatis stultè confingentes*: Et doctrinam etiam Nestorii de duobus Filiis seu Personis, quas admittebat in Christo, & eas omnes damnans inter ipsas præfatos duos errores quos Eutyches docebat rejicit, & per sequentia Verba condemnat: *His, qui in duabus Christi Naturis temperamentum aut confusionem opinantur, resistit .... Et qui duas quidem ante unionem Naturas Domini fabulantur, unam verò post unionem confingunt, condemnat?* Certè si ex hoc capite Sacrosanctum Concilium vestri rejiciunt, rejicere etiam deberent confessionem suæ Liturgiæ, reliquasque laudatas confessiones idipsum continentes, quod Symbolum, seu Fidei confessio S. Concilii continet. Et est ratio quia S. Concilium Chalcedonense in sua Fidei confessione ita procedit, ut contineat veritates omnes contrarias Hæresibus, quas damnat, uti observabitis in omnibus Symbolis, seu confessionibus Fidei à Sacrosanctis Generalibus Conciliis traditis, in quibus quoad substantiam exprimunt veritates omnes contrarias Hæresibus, quas damnant; licet damnationes factas in Symbolo non exprimant.

131. Et sic intelligere debetis vestras confessiones, cum sufficiat quod contineant veritates contrarias iis hæresibus, quæ damnatæ sunt. Si enim, Dilectissimi, in sua Liturgia (volo repetere vestras confessiones, & millies repetere vellem, ut ex repetitione magis, ac magis elucescat, & à vestris agnosci melius possit, ut ostendere promisi, quod idem confitentur, ac Sacrum Concilium Chalcedonense nos docet) Si enim, inquam, in sua Liturgia post consecrationem de consecrato pane ante communionem hæc Sacerdotes vestri fatentur, & Deo protestantur: *Credo Deo, & confiteor usque ad ultimum vitæ spiritum hoc esse corpus vivificum Filii tui unigeniti, & Salvatoris nostri*: palam confitentur in consecrata Hostia Christum esse cum suis duabus Naturis Divina & humana quas continet, & Eutyches post unionem in Christo negabat, aliter non dicerent: *Credo hoc esse corpus vivificum Filii tui Unigeniti Domini Dei*: Nam cum hæc sua confessio sit de Christo Domino post unionem, quia est de illo ut est in Eucharistia, ad evidentiam videtur cum Concilio Chalcedonensi confiteri eas duas veritates contrarias Hæresibus Eutychetis ab eodem damnatis.

132. Et si insuper addunt loquentes de hoc corpore vivifico, quod illud *assumi-*

sumpsit ex Domina omnium nostrum Deipara, pura, & Sancta Maria, fecitque illud unum cum Divinitate sua, quid aliud in hoc fatentur, nisi id, in quo consistit ineffabile hoc Mysterium Divinæ Incarnationis, scilicet in unione Divini Verbi cum Humana Natura, & sic de Divino Verbo nobiscum, & cum eodem S. Concilio confitentur, quod Corpus, *quod assumpsit ex Deipara Maria, fecit unum cum Divinitate sua*, ex qua unione resultavit hoc unum, quod credimus, & vestri credunt fuisse Christum Dominum nostrum; quandoquidem ex duobus unitis extremis semper illud unum resultat quod ex unione prætenditur. Cum autem in hac unione Divinitatis cum Humanitate, in qua Mysterium consistit, aliud Clementissimus noster Deus non intenderit; quam dare nobis unum Christum Salvatorem, qui nos redimeret, inde est, quod totum hoc in illis verbis confitentur.

133. Prosequitur confessio Liturgiæ, & in ea fatentur hanc unionem Divinitatis cum humanitate, ex qua resultat illud unum, quod est Christus, fuisse *absque confusione, commixtione, aut mutatione &c. & Divinitatem ejus separatam non fuisse ab ejus humanitate, nec momento quidem*. Quo iterum confitentur has duas Naturas inconfusas, & inseparabiles, uti & nos eas confitemur, & S. Chalcedonense Concilium etiam confitetur. Perpendite hæc, Illustrissimi Domini, quia concludentia sunt, nullumque locum ambigendi relinquunt, quod in vestra Liturgia usque ad ultimum vitæ spiritum confitemini, in Christo post unionem esse præfatas duas Naturas, Divinam, & Humanam, ex quibus hoc unum, quod est Christus, resultat.

134. Et si huic confessioni vestræ Nationes, Dilectissimi, adjiciant verba illa confessionis lapidis, seu Margaritæ pretiosæ: *Nec Divinitas in humanitatem, nec Humanitas in Divinitatem mutata est, sed unaquæque servavit, quod sibi proprium erat*; Et si pariter adjungant confessionem illam libri Fides Patrum, *MANENT DUÆ NATURÆ in unitate, quæ non destruuntur aut commiscentur*, reflectendo ad illud, *unaquæque servavit, quod sibi proprium erat*, & ad illud, *manent duæ Naturæ*, in Christo nimirum amplius, & amplius agnoscent, quod in omnibus tribus confessionibus cum Concilio Chalcedonensi confitentur illas duas veritates contrarias duabus hæresibus, quas Eutyches docebat, & S. Concilium damnavit. Ex quibus omnibus convicti manebunt, quod vel suam Liturgiam rejicere tenentur, in qua usque ad ultimum vitæ spiritum Deo protestantur credere in Christo, modo jam declarato, duas inseparabiles Naturas Humanam, & Divinam absque confusione, commixtione, aut mutatione, unaquaque servante quod suum erat, ex quibus unus Christus, & una Persona resultat, vel admittere, & reverenter amplecti Sacrosanctum Concilium Chalcedonense, ejusque Fidei Symbolum. Pro quo observare debent quod idem S. Concilium in eodem Symbolo fatetur, se *sequi Epistolas Synodicas Beati Cyrilli Alexandrinæ Ecclesiæ Præsulis ad Nestorium*, quæ in actis ejusdem S. Concilii insertæ inveniuntur, ex quibus tot testimonia excerpta jam vidistis. Hoc supposito non potestis, Dilectissimi, ad ea omnia serio reflectendo, non cognoscere pura æquivocatione Vestros Subditos laborare in defendendo, in Christo post unionem non manere, nec esse duas Naturas, sed unam tantum ex Divinitate, & Humanitate compositam.

135. Sed cum videam, quod his omnibus non obstantibus semper ea magna æquivocatione Vestri laborant, quod existimant idem esse unum Christum ex duabus Naturis resultare, ac unam solam resultare Naturam; ne quidquam in hac mea Epistola intactum remaneat, quod turbare illos possit, vel removere à judicio, quod, ut cre-

credo, formatum jam habebunt ex omnibus hucusque dictis de veritate illis persuasa, operæ pretium existimo eos ab hac absurdissima æquivocatione removere. Scire enim debent, quod nomen Christus non unam, sed duas Naturas Divinam, & Humanam significat, ut mox ex suis SS. Patribus Athanasio, & Cyrillo, quibus credere debent, videbunt. Enim vero, ut ajunt hi SS. Patriarchæ, Christus idem est, ac unctus, quo significatur hominem per unionem cum Divino Verbo, unctum ejus Divinitate esse. Et sic duas Naturas Divinam, & Humanam, in eo esse, hacque ratione ad illas significandas Christum vocari, hocque nomine gaudere non potuisset, si has duas Naturas in se non haberet. S. Athanasius *Homilia de Semente*, sub titulo declaratio Levitici *de diversa ejusdem rei nomenclatura contra Samosatenses prope finem*: Ubi de nomine Divini Verbi hæc ait: *Unctio, seu unguentum Ego ipse sum, Homo autem is est, qui à me unctus est. Non igitur absque me Homo ille Christus unquam nominari meruisset, sed quia mecum est, & ego in illo, ideo nomen Christi, hoc est uncti, meretur.* Et ibidem initio dixerat: *Christus enim id esse, quod ex ambobus constat*; Et infra: *Ille si Verbo coadunatus sit, merito nominatur Christus, & Dei Filius .... utrumque igitur intelligimus Christum, Verbum scilicet, quod Deus est, unitum cum Homine ex Maria.* Et alibi de Incarnatione Christi proxime post medium etiam ait: *Christum non simpliciter dici, sed in ipso nomine, quod UNUM EST, utramque Naturam significari, & Divinitatis, & Humanitatis, ideoque Christum, & Hominem, & Deum appellari, quanquam unus sit Christus.*

136. Audiant etiam S. Cyrillum Oratione contra Arianos in fine, qui eodem modo hoc ipsum etiam declarat, & nomine Divini Verbi ait: *Ego enim sum Chrisma, sive unctio, Christusque sive unctus homo est, qui à me assumptus est. Non igitur sine me Christus nominari debet, sed una mecum, & Ego cum illo.* Et in Isaiam lib. 4. c. 49. non longe ab initio etiam ait: *Postquam vero se ipsum demisit, & exinanivit in similitudinem Hominum factus, & forma inventus ut homo, nomen accepit commune, scilicet Christus*: Et infra: *Nondum enim unctus, quomodo Christus dici potest? Quando enim prodiit ex ventre Matris Homo; tunc appellationem accepit carnali Nativitati consentientem.* Et pari modo loquitur *lib. 1. in Isaiam cap. 7. Et ad Theodosium de recta D.N.J. fide in fine*; Et aliis in locis, & idem tradunt omnes SS. Patres & DD., quin in dubium verti hoc possit.

137. Porro quod pro eodem istę Nationes habeant unum Christum ex duabus Naturis resultare, ac unam resultare Naturam, ex eo proculdubio oritur, quod judicant hoc verbum *Christus* esse nomen Naturæ, quando ex Evangelio habent quod est nomen Personę. Nam sicut nobis unus vocatur Petrus, alius Paulus, alius Marcus, & sic de cæteris nominibus, ad distinguendas individuas personas, quia cum omnes homines sint, & in eo conveniant, eo quod homo sit nomen Naturæ, si unicuique suum particulare nomen quod ejus individuam personam significaret non imponeretur, distingui non possent; sic etiam ad distinguendum personam Christi à reliquis hominibus, cum quibus in ratione hominis conveniebat, imposita fuerunt varia nomina, quibus distingueretur à reliquis hominibus, & significaretur qualitas ejus Personæ. Itaque in Evangelio legimus quod habebat nomen Emmanuelis, & sic vocabatur Emmanuel, ut habemus Matth. cap. 1. *Et vocabitur nomen ejus Emmanuel.* Vocabatur etiam Jesus, ut habemus ex eodem Evangelista cap. 1. *Vocabis nomen ejus Jesum.* Et vocabatur etiam Christus, ut ex ipso Evangelio habemus eodem cap. *Mariæ, de qua natus est Jesus, qui vocatur Christus.* Et in eodem cap. *Jesus, qui vocatur Christus.*

stus. Et Joan. 4. *Messias venit, qui dicitur Christus*. Et Pauli ad Romanos cap. 15. *Nominatus est Christus*. Et alibi pluries: hæc enim tria nomina sunt proprie significantia personam Christi: reliqua autem nomina, quibus vocatur jam agnus, jam leo, jam vitis & alia similia, sunt nomina significantia ejus proprietates, & attributa. Ex quo ad evidentiam vident suam æquivocationem, & quod nomen Christus non est nomen Naturæ, sed Personæ. Et quia non est solum homo, sed etiam Deus, in quo convenire non poterat cum reliquis hominibus, imposita illi fuerunt nomina, quæ significarent hanc distinctionem in Naturis, in quibus cum reliquis hominibus non conveniebat, & quia nomen Emmanuel significat *Nobiscum Deus*, in quo significantur duæ Naturæ in Christo; & quod cum homine Deus unitus fuit. Et nomen Christus significat *Unctus*, quo pariter ut vidimus duę Naturæ significantur. Et nomen Jesus quod significat *Salvator* & Redemptor, quo duæ Naturæ etiam significantur, humana qua patiendo nos salvavit, & Divina, qua suæ passioni robur & valorem dedit; inde satisfacti de sua æquivocatione manebunt quod nomen Christus, non est nomen Naturæ, sed personæ duas Naturas in se amplectentis. Et sane hæc est veritas, quam nec pueri, etiam mediocriter in Doctrina Christiana instructi ignorant. Si enim illos interrogamus *quid est Christus*? continuo respondent *Deus, & Homo verus*, quia sciunt has duas Naturas Divinam, & Humanam per hoc nomen significari.

138. Patiuntur etiam Dilectissimi aliam æquivocationem Nationales Vestri, quia credunt idem esse, unum conjungi per unionem cum alio, ac unam naturam resultare, quando convinci de opposito possunt exemplo unionis Angeli cum homine: si enim unirentur, ex hac unione, & conjunctione proculdubio non dicent unam naturam resultare, sed ipsas duas Naturas Angeli, & Hominis uti erant ante unionem. Et in rebus naturalibus, seu artificialibus habent alia plura exempla. Ex lateribus namque petris, calce, tegulis, & lignis una domus conficitur, & in unum omnia evadunt, & tamen lateres, lapides, calx, tegulæ, & ligna suam Naturam conservant in Domus compositione. Et alia multa hujusmodi exempla afferre possemus. Solum enim in compositionibus, quæ fiunt per confusionem, commixtionem, & conversionem, ut suo loco diximus, hoc verificatur, quod ex iis, ex quibus confusio, commixtio &c. fit, una nova natura resultet, ut in exemplo supra apposito corporis, quod componitur ex quatuor elementis igne, aqua, terra, & aere, ex quibus una nova Natura ab ipsis distincta resultat, quæ nec est ignis, nec aer, nec aqua, nec terra. Et in materiali commixtione vini, & aquæ experiuntur etiam, quod ex hac commixtione unum tertium resultat, quod nec est aqua, nec vinum. Et cum hæ nationes merito excludant hanc commixtionem, & confusionem duarum Naturarum Divinæ, & Humanæ in Christo, quia sic resultaret una nova Natura, quæ nec esset homo, nec esset Deus, sic necessariò remotissimi à sua æquivocatione manere debent, & credere quod unum, quod in Christo ex duabus Naturis Divina, & Humana resultat, non est una nova Natura, sed una Persona, & unus Christus in duabus Personis hypostaticè unitis.

139. Ex quibus omnibus, Illustrissimi Domini, ad evidentiam demonstratum habetis Salvatori nostro hoc nomen Christus impositum fuisse, ut in sua Persona significarentur, exprimerenturque duæ suæ Naturæ Divina, & Humana, idemque esse unum Christum resultare ex duabus Naturis, ac duas Naturas, ex quibus constituitur, in eo esse: aliter Christus non idem esset, ac unctus, nec vocari Christus posset, & sic Vestri cognoscent non

non aliud requiri, ut cum Catholica Romana Ecclesia, & cum definitione Concilii Chalcedonensis conveniant, nisi quod quando dicunt & nobiscum credunt, & confitentur unum Christum resultare ex duabus Naturis, addant, in quo sunt *duæ Naturæ, Divina, & Humana*, uti significatur per ipsum nomen Christus, & confiteantur Christum Dominum, ejusque unicam Personam ex duabus, & in duabus Naturis esse, & subsistere, ut edocti manent à suismet Sanctissimis Patriarchis, & à S. Cyrillo supra laudato loco, quem repetere non recuso, ubi lib. 10. Thesauri cap. 7. in fine ait: *Unus profecto Dominus Jesus Christus est, & non duo: & unus hypostatice atque personaliter in duabus Naturis: Deus enim Hominem assumpsit atque induit; & ideo Verbum dicitur Caro factum est*. Et sanè sanguineæ lachrymæ sufficientes non sunt ad deplorandum, quod tam florentissimæ Nationes tot rationibus, quibus hæc Catholica veritas convincitur, non amplectantur Concilium Chalcedonense, in quo eadem definitur, & edocetur, disjunctęque esse velint à S. Romana Ecclesia, in qua solum est salus, cum tot animarum suarum ęterna perditione, ex eo quod explicitè confiteri recusent id ipsum, quod implicitè in sua Liturgia, aliisque suis confessionibus fatentur, voluntariè destruendo idipsum, quod Catholicè credere protestantur, quodque in se continet, quod credere, & confiteri tenentur. Et de hoc satis.

140. Deveniam nunc ad id, Illustrissimi Domini, quod Nationes Vestræ consequenter ad suam de una Natura post unionem in Christo doctrinam, qua imbuti sunt, docent, & tenent, nimirum, unam tantùm voluntatem, unamque solummodo operationem in Christo esse. Nam licèt demonstrato quod duas Naturas confiteri in eo debent, superfluum videri posset transire ad demonstrandum duas esse voluntates, duasque operationes in Christo Domino, quas consequenter confiteri cum Ecclesia Catholica Romana in Christo tenentur, tamen operæ pretium existimo breviter etiam illis demonstrare has duas in Christo voluntates, duasque operationes confiteri debere, tum ex Scriptura, tum ex SS. Patriarchis Athanasio, & Cyrillo, & omnibus SS. Patribus, qui sextam Synodum, in qua hæc hæresis fuit damnata, præcesserunt, præsertim cum videam, quòd omnes authoritates, quibus hæc veritas ostenditur, simul probant duas in Christo post unionem esse Naturas, quo nedum de hac veritate duarum voluntatum, & duarum operationum in Christo convicti manebunt, verum etiam de veritate duarum Naturarum in Christo amplius, & amplius persuasi.

§. XI.

Ostenditur duas in Christo Domino esse voluntates, ex Evangelio, Patribus, & ratione.

141. Breviter id demonstro. Et incipiens ab Evangelista Matthæo (*cap.26.*) Per eum enim Christus Dominus ait: *Pater si possibile est transeat à me Calix iste, veruntamen non sicut ego volo, sed sicut tu*: Et Lucæ cap. 22. *Non mea voluntas, sed tua fiat*: Et Joannis cap. 4. *Cibus meus est, ut faciam voluntatem ejus, qui misit me*. Et cap. 6. *Descendi de Cœlo non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus, qui misit me*: Et Isaiæ cap. 35. *Oblatus est quia ipse voluit*. In quibus omnibus locis, quin speciali reflexione egeant, manifestè exprimuntur duæ voluntates, Divina, & Humana, ut indubitabile apparet; & ne in aliis quamplurimis locis, quæ afferri possunt, immoremur, cum hæc sufficiant, devenio ad Sanctos Patres.

142. Et antequam accedam ad Sanctos Patriarchas Athanasium, & Cyril-

lum, reliquosque Sanctos Doctores, qui sextam Synodum præcesserunt: prius exponam, Dilectissimi, sacram vestram Liturgiam, in qua de Christo Domino ejusque sacratissimo Corpore in Pane consecrato hæc confitemini: *Dedit illud pro nobis omnibus super Sanctum Lignum Crucis PROPRIA VOLUNTATE*: In quo apertè confitemini in Christo post unionem esse propriam voluntatem. Quomodo ergo stare poterit cum hac authentica Fidei confessione singulis diebus repetita defendere in Christo Domino post unionem sicut non sunt duæ Naturæ, sed una tantum, sic non esse duas voluntates, sed tantum unam inintelligibile evadit? Adjiciam etiam id quod in Margarita pretiosa Vestri confitentur, dum dicunt: *Assumpsit Corpus, & Animam rationalem sicut nos, & in omnibus nobis similem excepto peccato*: Et infra: *unaquæque* (Natura) *servavit, quod sibi proprium erat*. Cum ergo proprium sit Naturæ humanæ anima rationalis, & hæc habeat suam propriam voluntatem, sicut & Verbum Divinum suam etiam habet, inde infertur, quod si in Christo ne dum est Divinum Verbum, sed & anima rationalis in omnibus nobis similis, servans, quod sibi proprium est, necessario debent esse in Christo duæ voluntates.

143. Venio jam ad SS. Patres. Sanctus Athanasius *lib. de Humana Natura suscepta ab Unigenito contra Apollinarem prope finem* hæc habet: *Cum igitur dicit, Pater si possibile est, transeat a me Calix iste, veruntamen non mea voluntas fiat sed tua, Spiritus enim promptus est, caro infirma est, duas voluntates ibi ostendit, alteram Humanam, quæ est carnis, alteram Divinam*; potest dici clarius? Erit cum hac confessione, qui dicat S. Athanasium docuisse unam tantum voluntatem esse in Christo, & consequenter unam tantum Naturam? Et ut brevitati consulam, omitto alia quamplurima ejusdem Sancti testimonia, quæ afferre possem.

144. S. Cyrillus Alexandrinus (*lib. 4. in Joannem cap. 1.*) cum per totum caput dixisset: *Non enim quæ ipse vult, sed quæ Pater velit, facere se ait*: Et infra: *Non voluntatem suam, sed Patris Filius fatetur*: Et infra; *Cum enim docere vellet voluntariam sibi esse mortem*; tandem prope finem capitis hæc ait: *Si descendit de cœlo Filius, non ut suam faceret voluntatem, sed Patris, ut ipse ait. Si quæ tibi diximus super hoc minimè placent: Nonne fateberis necessariò, non unam, sed duas, & diversas Patris, & Filii esse voluntates? Nam si nihil inter Patris, & Filii voluntatem interest, una eademque in ipsis voluntas est; sin vero alia est Filii, qua tamen prætermissa, Patris sequitùr voluntatem, quomodo diversa non erit ab illa?* Quid clarius? Poterunt allegare pro una voluntate, sicut & pro una sola Natura, S. Cyrillum?

145. S. Gregorius Nazianzenus, *Sermone secundo de Filio*, ad medium, & extat in *oratione 36.*, hæc habet: *Septimum proferatur, quod Filius è cœlo descendisse dicitur, non ut voluntatem suam faciat, sed ejus, à quo missus est. Sanè, nisi ab illo ipso qui descendit hæc oratio haberetur, dicere possemus hæc verba velut ab Homine exprimi, non quod de Salvatore intelligatur (illius enim voluntas cum tota Deificata sit, Deo procul dubio non adversatur) sed qui nostræ conditionis sit. Humana quippe voluntas nostra divinam non omnino sequitur, verum ut plurimum ei resistit atque obluctatur. Nam illud quoque eodem modo intelligimus, Pater si possibile est, transeat à me calix iste. Veruntamen non mea, sed tua voluntas vincat.*

146. B. Basilius Magnus *lib. 4. adversus Eunomium* super illis verbis *Pater si possibile est transeat à me calix iste* prope finem, hæc habet: *Si invitus etiam factus obediens Patri ejus usque ad mortem, nec moriebatur, non se humiliavit. Qui seipsum dedit, ut dixit Apostolus: Qui se dedit in Redemptionem pro peccatis nostris. Quod si volens; quid opus his verbis, Pater si possibile est, transeat à me Calix iste? Hoc ergo non de seipso, sed de iis qui in*

in eo peccaturi erant, ne peccent, accipiendum, pro quibus etiam crucifixus dicebat.

147. S. Joannes Chrysostomus *in Matthæum* ad illa verba: *Et venit ad discipulos suos & invenit eos dormientes*, ut extat *in 6. Synodo act.* 10. hæc habet. *Nunc autem orando id recusans, immoderatam ostendit perimentium eum malitiam. Transeat ergo Calix, inquiens, subjunxit; Veruntamen non sicut ego volo, sed sicut Tu: Et suam quidem voluntatem habere se efficaciter demonstravit. Præponit autem ubique suæ paternam voluntatem, & in omnibus adnectit illam, quæ Patris est, ei occurrens, concordemque se ostendens illius voluntati.*

148. S. Epiphanius *Heresi 69. contra Ariomanitas lib.* 2. valde longè à fine, hæc ait, *Venit autem non invitus, sed volens. In superioribus enim dicit, poculum habeo, quod bibam, & quid festino donec bibero ipsum? & baptisma habeo, ut baptizem, & quid volo, si jam baptizatus sum? Si itaque festinat, & dicit se ad hoc venisse, quomodo aliam voluntatem suam ostendit, & aliam Patris? Veruntamen quoniam propter Israel tradendus erat, benignus existens, & semini Abraham parcens, pro Populo sermonem faciebat; voluntas autem erat Patris, ut dispensatio sic impleretur.*

149. S. Gregorius Nyssenus *libro Oppositorum adversus Apollinarem, ut extat in 6. Synodo act.* 10., ubi hæc ex ipso exponuntur: *Unigeniti Dei est vox, quæ dicit non mea voluntas fiat, sed Tua: ipse sermo circa seipsum per quandam semper contrarietatem volvitur, & nunquam stabilitatem habet. Qui enim non vult propriam voluntatem fieri, hoc ipsum vult omninò, ut non fiat, quod vult*: Et infra: *Quia igitur alia est humana voluntas, & alia Divina, loquitur quidem, & quasi ex Homine, quod infirmitati nostræ congruit, quì nostras passiones assumpsit; adjungit autem secundam vocem sublimem, & Deo dicibilem voluntatem, quam Humanam firmari pro Hominum salute volens. Qui enim dicit non meam, Humanam hoc sermone significavit.*

150. D. Ambrosius (*de fide lib. 2. cap. 3.*) cum per totum caput dixisset: *Audi etiam ipsum agere, quod vult, dicit etiam, ut faciam voluntatem tuam Deus meus volui: Et alibi: Voluntariè sacrificabo tibi*: Et infra. *Vides quia non solum Filius voluntatem Patris, sed etiam Pater Filii faciat voluntatem*: Et infra: *Vides quia Filius arbiter suæ voluntatis est*: Et infra prope fin. *alia voluntas Hominis, alia Dei denique ut scias vitam in voluntate esse Hominis, quia mortem timemus: Passionem autem Christi in voluntate Divina, ut pateretur pro nobis. Cum Petrus vellet à passione eum revocare. Dominus ait: Non sapis ea quæ Dei sunt, sed quæ sunt hominum. Suscepit ergo voluntatem meam, suscepit tristitiam meam: confidenter tristitiam nomino, quia Crucem prædico. Mea est voluntas quam suam dixit, quia ut Homo suscepit tristitiam meam, ut Homo loquutus est, & ideo ait, non sicut ego volo, sed sicut tu vis.*

151. D. Augustinus [*in Psalm.* 100.] hæc ait. *Ipse Dominus non propter se, sed propter nos dixit. Quid enim dixit. Pater si fieri potest, transeat à me Calix iste. Ecce habes voluntatem humanam expressam. Vide jam rectum cor verum, non non quod ego volo, sed quod tu vis Pater.*

152. Severianus Episcopus Gabalensis *ad illa verba: Pater transfer à me Calicem hunc, ut extat in Concilio Lateranensi sub S. Martino I. consult.* 5. hæc habet: *In vitæ termino dicit, nunc anima mea turbatur, tristis est anima mea usque ad mortem; non Deitas mea, impassibilis enim est Divinitas, & imperturbabilis, & imperterrita. Spiritus quidem, ait Dominus, promptus, caro autem infirma. Ergo duas voluntates declarat, unam quidem Divinam, alteram autem Humanam.*

153. S. Anastasius Patriarca Antiochenus *in Catechesi supralaudata n.* 59. Composita, ut ait, ex operibus S. Cyrilli Alexandrini, hæc habet: Catechista: *Quot naturales voluntates in Christo profiteris?* Catech. *Duas, unam Divinam, & alteram Humanam.* Catechista: *Quæ est voluntas Divina?* Catech. *Purgare leprosos, & cætera hujusmodi, ut & illud valdè, & fiat tibi sicut credidisti.* Catechista: *Quæ est voluntas Humana?* Catechista: *Potum quæ-*

quærere, quod etiam in Cruce accidit, & cibum expetere, ut illud, habetis hic aliquid edulii. Huc usque Ecclesiæ Patres, aliis innumeris tum Græcis, tum Latinis omissis, ne ampliùs immorer in re tam clara, quæ ratione naturali, & Philosophica etiam convincitur.

154. Nanque, si vestri Nationales, dilectissimi, catholicè confitentur Christum post unionem esse verum Deum, & verum Hominem, & in Symbolo S. Athanasii cum Ecclesia Romana etiam confitentur, quod *est perfectus Deus, & perfectus Homo, & anima rationali, & carne subsistens*: Quomodo esset perfectus Homo anima rationali subsistens, si humanam voluntatem non haberet, quando in sua Margarita pretiosa dicunt: *Assumpsit corpus, & animam rationalem sicut nos in omnibus nobis similem, & insuper quod unaquæque* [Natura] *servavit, quod sibi proprium erat*. Certè hac sola ratione convicti remanere debebant de hac Fidei veritate duarum voluntatum in Christo; qua uti concludentissima utitur S. Joannes Damascenus ad hanc veritatem convincendam.

155. Sed est alia efficacior ratio. Nam negare non possunt Christum Dominum nobis meruisse nostram Redemptionem, quod certè sine libertate fieri non poterat, & cum libertas sine voluntate esse non possit, opus est confiteri Christum Dominum, Humanam voluntatem liberam habuisse, qua nobis nostram meruit redemptionem.

156. Scio quod multi pondere tantæ authoritatis Evangelii, SS. Patrum, & rationis agnoscunt, verè in Christo Domino duas esse voluntates, sed has adeo esse conformes, ut non duæ, sed una dici debeant. Sanè Ecclesia etiam Romana fatetur, & credit has duas voluntates in Christo adeò esse conformes, ut una videatur, sed non ex hoc addit unam debere dici voluntatem, sed duas confiteri debere in omnibus valde conformes. Non enim obligationi, quam omnes habemus veram fidem confitendi, satisfacimus dicendo, & confitendo id solum quod in se continet catholicas veritates. Præsertim quando creditur, vel additur aliud, quod contrarium sonet illi, quod continetur in eo, quod credere dicunt. Cum ergo in Sexta Synodo, ut §. sequenti videbimus, damnati Monothelitæ sunt duas voluntates in Christo negantes, ideo tenentur oppositum palàm fateri.

§. XII.

Ostenditur duas in Christo esse operationes, ex Evangelio, Patribus, & ratione.

157. A Deo pro comperto habere debemus in Christo duas esse operationes, unam ejus Divinitatis, aliam ejus Humanitatis, sicut & duas voluntates, ut nulla vel apparentia rationis excogitari ad illud denegandum possit. Innumeras enim operationes in Evangelio de Christo legimus, quæ ejus solummodo humanitati tribui possint. Legimus enim de eo Matthæi 26.: *Tristis est anima mea usque ad mortem*: Et ibidem: *Pater si possibile est, transeat à me Calix iste*: Et Lucæ 23. *In manus tuas commendo Spiritum meum*. Et Pauli ad Philippenses 2. *Factus obediens usque ad mortem, mortem autem Crucis*. Et in Ligno Crucis positus illud Marci 15. *Deus Deus meus, ut quid dereliquisti me*. Et Joannis cap. 19. *Sitio*; Et cap. 24. *Pater major me est*. Et Matthæi 20. *Non est meum dare vobis*. Et Joannis 17. *Mea doctrina non est mea, sed ejus, qui misit me*. Et illud ejusdem ad Samaritanam: *Da mihi bibere*. Et Lucæ 2. *Erat subditus illis*. Quæ omnia, & alia innumera eloquia, operationes, & passiones, uti sunt, esurire, sitire, fatigari, sudare &c. quæ pertinent ad humanitatem, notissima sunt omnibus ex eodem Evangelio.

158. Ad Divinitatem verò pertinet illud Joannis 5. *Pater meus usque modo operatur, & ego operor*. Et illud ejusdem 2. *Sol-*

Solvite Templum hoc, & in tribus diebus ædificabo illud. Et illud ejusdem 10. *Ego & Pater unum sumus*. Et illud ejusdem. *Nunc anima mea turbata est*. *Potestatem habeo eam ponendi, & iterum potestatem habeo sumendi eam*. Et illud ejusdem 11. *Lazare veni foras*. Et illud Lucæ 5. *Surge, & ambula*. Et alia quamplurima testimonia quæ afferre possem, ultra ea, in quibus referuntur miracula, quæ fecit Deus sanando infirmos, suscitando mortuos, visum dando cæcis, imperando ventis &c. quæ sacra testimonia sufficerent, ut de hac dubitari non possit.

159. Et sequendo ordinem, omnia authoritate Patrum etiam comprobandi, & præsertim SS. Athanasii, & Cyrilli, S. Athanasius *sermone 3. contra Arianos, ut extat in Concilio Lateranensi sub S. Martino consult. 5.* hæc habet: *Propter nos factus est homo, & carnaliter, sicut ait Apostolus, inhabitavit Deus in carne simul, ut dicatur Deus existens, proprium habuit corpus, & hoc organo usus, factus est homo. Unde propria quidem illius dicuntur, quoniam in ipso erant qualia sunt esurire, sitire, pati, laborare, & similia, quorum caro est capax; ipsius autem Verbi propria, qualia sunt mortuos suscitare, cæcos videre facere, & mulierem fluxum sanguinis habentem curare; quæ videlicet per proprium corpus ipse efficiebat.*

160. S. Cyrillus Alexandrinus (*lib. 12. Thesaur. cap. 15.*) hæc habet: *Quæ Naturæ, hoc est essentiæ, disseparantur, diversas habent operationes: quorum autem eadem simpliciter operatio est, eorum substantia etiam eadem est, quod ait, ut demonstret contra Arium, Filium Dei non esse creaturam, quia multa Christus Dominus operatus est ut Deus, quæ ut Homo operari non poterat*. Et alibi (*ex eodem Thesauro laudato in 6. Synodo actione 10.*) *Loquitur enim ut Homo, loquitur ut Deus, habens in utrisque potestatem: humaniter enim dicebat; Nunc anima mea turbata est*: *Divinè autem, potestatem habeo ponendi eam, & iterum potestatem habeo sumendi eam. Perturbari ergo, passio carnis est propria; potestatem autem habere ponendi, & iterum sumendi animam virtutis Verbi est actus .... propter nos factus est Homo, & quæ Humanitati congruunt loquitur.*

161. S. Basilius Magnus (*lib. 4. adversus Eunomium*) ubi hoc principium statuit: *Eorum quæ diversæ sunt substantiæ, non potest esse similis operatio*; Et Epistola (*ad Beatum Amphilochium*) *fideliter consideranti cernendum est quia multa, & à parte Hominis Dominus loquitur; nam da mihi bibere, vox est corporalem utilitatem perficiens. Quia igitur alia est humana voluntas, alia Divina, loquitur quidem, & quasi ex homine, quod infirmitati nostræ congruit, qui nostras passiones assumpsit.*

162. S. Joannes Chrysostomus [*Sermone de Vidua, quæ duo minuta obtulit: ut extat in Concilio Lateranensi sub Mart. Consult. 5.*]: *Copulatarum Naturarum diversa est operatio Humanitatis, & Divinitatis, diversa fortitudo, & ut apertius dicam, deorsum fatigatur, & sursum continet elementa: Deorsum esurit, & desuper pluvias ministrat.*

163. S. Justinus Philosophus & Martyr [*in expositione Fidei de recta confessione ad medium.*] *Filius unicus, cum sit Naturæ geminæ juxta alteram patrat miracula, juxta alteram humilia quæque in se recepit. Quatenus enim ex Patre, & Deus, facit prodigia, quatenus è Virgine, & Homo, Crucem, & Passionem, & similia ultro pertulit naturaliter.*

164. S. Hilarius [*lib. 9. de Trinitate ut extat in Concil. Lateran.* ubi proxime] *Natus igitur, Unigenitus Deus ex Virgine Homo, ut Filium Dei credi doceret, & Hominis Filium prædicari admoneret: Loquutus, & gerens Homo universa quæ Dei sunt, loquens deinde, & gerens Deus universa quæ Hominis sunt.*

165. S. Jo: Damascenus [*Oratione de duabus Christi voluntatibus, & operationibus in principio*] *Qui duas Naturas, & unam Personam in Domino Nostro Jesu Christo profitentur, hi certè duplices, easque diversas Naturarum proprietates profiteri debent*. Et infra: *si ergo non fuit in eo naturæ*

turæ humanæ naturalis actio, nec Natura quidem humana in eo fuit; quorum enim Naturæ diversæ sunt, eorum etiam tam voluntates, quam actiones differunt. Et paulo post. *Quapropter in Domino Nostro Jesu Christo, quoniam duæ sunt Naturæ, duæ etiam actiones sunt, quæ Naturam attingunt, ut sit & Deus perfectus, & Homo perfectus. Itemque duæ sunt voluntates, quibus alio atque alio modo vult pro Naturali duarum Naturarum distinctione . . . . Si enim humanam actionem non accepit, nec vixit, ut Homo, nec intellexit, nec cogitavit, nec comedit, nec bibit, nec cibum gustavit, nec ambulavit, nec vidit, nec audivit, nec respiravit, nec ullum eorum munerum executus est, quæ nostram attingunt Naturam.*

166. S. Gregorius Nyssenus [*sermone 4. contra Eunomium extat in Concil. Lateran. Consult. 5.*]: *De Domino Doctrina tam per sublimia, & Deo digna, quam per humilia, & Humana utrorumque nominum utrique, qui in Salvatore intelliguntur competenter aptamus, & humana quidem ad hominem, sublimia vero ad Deitatem.*

167. S. Epiphanius [*lib. Anchoratus* multò longè à principio] hæc habet: *Habuit autem omnem dispensationem Verbum ipsum, quum venit, & carnem, & animam, & quæcumque sunt in Homine accepit; animæ vero, & carnis erant partes fames, & fatigatio, sitis, tristitia, & alia. Lacrymatur enim ut redarguat errorem Manichei, quoniam non in apparentia corpus indutus erat, sed in veritate. Sitit autem, ut ostendat, non solum carnem se habere, sed etiam animam. Non enim Deitas ipsius alicubi sitivit, sed anima sitivit, & fatigatus est ab itinere propter carnis, & animæ consequentiam. Quod autem corpus, & animam habens, venit Verbum, persuadeant ipsos Divinæ Scripturæ veteris, & novi Testamenti.*

168. S. Maximus [*in Homiliis biemalibus Homilia tertia prope finem*]. *Et hinc est quod Christus ut Homo esurit, & esurientes pascit ut Deus. Hinc quod fatigatur itinere, & claudis virtutem tribuit ambulandi. Hinc quod oculos suos laxat in lacrymis, & mirabiliter cæcis reformat aspectum. Hinc quod appropiante morte tristatur, & mortuum Lazarum suscitat de Sepulcro. Hæc omnia, Fratres, conditor, ac Redemptor ut Deus, & Homo agit.*

169. S. Anastasius Sinaita Patriarcha Antiochenus [*in Catechesi supralaudata composita ex operibus S. Cyrilli*] hæc habet: Catechista. *Quot actiones in Christo profiteris?* Catech. *Duas, unam Divinam, alteram Humanam.* Catechista: *Quæ est actio Divina?* Catech. *Ut serventur omnes homines, & ad veritatis notitiam perveniant, ut illud Pater meus usque nunc operatur, & ego operor.* Catechista: *Quæ est actio humana?* Catech. *Iter facere, fatigari & similia.* Et omitto alios innumeros Sanctos Patres tum Græcos, tum Latinos, quos afferre possem hanc veritatem comprobantes.

170. Sed sufficere debebat pro authoritate, ratione, & exemplo ad hanc veritatem demonstrandam solum opus nostræ Redemptionis per Salvatorem Nostrum patratæ; Nam necessarium est fateri, quod omne id, quod Jesus Dominus noster passus fuit pro nobis, fecit, ut homo: ut Deus enim pati non poterat. Et opus est etiam fateri, magnalia ea omnia quæ in morte, & passione sua, quæ ut Deus etiam fecit, dixit, & operatus fuit. In Horto enim Judæos, qui ad eum capiendum veniebant, hac sola voce, *Ego sum*, (*Joann.* 18.) in terram prostravit. *Abierunt retrorsum, & ceciderunt in terram.* Malcho aurem restituit, Lucæ 22. *Et cum tetigisset auriculam ejus, sanavit eum.* Caiphæ, Marci 14. interroganti illum: *Tu es Christus Filius Dei benedicti? Respondit: Ego sum, & videbitis Filium Hominis sedentem à dextris virtutis Dei, & venientem cum nubibus Cœli.* Petrum suo aspectu convertit, Lucæ 22. *Et conversus Dominus respexit Petrum, & egressus foras flevit amare*, Pilato, Joann. 18. dixit: *Regnum meum non est de hoc mundo*, Et ejusdem 19. *Non haberes*

beres potestatem adversum me ullam, nisi tibi datum esset desuper. Et interroganti illum, Matth. 27. *Tu es Rex Judæorum?* Respondit. *Tu dicis*. Latroni dixit, Lucæ 23.. *Hodie mecum eris in Paradiso*. In ejus morte Matth. 27. & Lucæ 23. *Obscuratus est Sol, velum templi scissum est in duas partes, mota est Terra, Petræ scissæ sunt, monumenta aperta sunt, & multa corpora Sanctorum, qui dormierant, surrexerunt*. Marci 18. *Centurio clamavit, verè hic Homo Filius Dei erat*, & tandem ipse propria virtute (*Matth.* 28.) *resurrexit*.

171. Si enim, Illustrissimi Domini, in sola Christi passione, & morte ex Evangelio credimus hæc omnia accidisse, in quibus habemus quod Christus Dominus, ut homo fecit, & passus fuit, & mirabilia quæ ut Deus patravit, & in vestra Liturgia hanc nostram redemptionem fatemini, dicendo: *Et confessus est confessionem bonam sub Pontio Pilato, dedit illud* (corpus scilicet) *pro nobis omnibus super sanctum Lignum Crucis propria voluntate*, quomodo vestri negare possunt has duas Christi Domini operationes, sicut nec duas ipsius voluntates? quam aliam auctoritatem desiderare possunt ad hanc de duabus Christi operationibus veritatem comprobandam, & illam amplius etiam firmandam de duabus in ipso operationibus Divina, & Humana in eadem persona.

172. Sed ultra hæc omnia tam pro duabus voluntatibus, quam pro duabus actionibus habent etiam vestri, & habemus omnes irrefragabile testimonium sextæ Synodi, in qua tanquam veritates de Fide S. Concilium duas voluntates, & duas actiones in Christo Domino esse credendas nobis tradit, correspondentes duabus suis Naturis Divinæ, & Humanæ: & quidem declarans se in eo sequi SS. Athanasium, & Cyrillum. Sic enim [*in ejus Symbolo, & Fidei Confessione actione 18. post medium*] habemus: *Duas Naturales voluntates in eo, & duas Naturales operationes indivisas inconvertibiliter, inseparabiliter, inconfuse secundum Sanctorum Patrum doctrinam adæque prædicamus; & duas Naturales voluntates, non contrarias [absit] juxta quod impii asseruerunt Hæretici, sed sequentes ejus humanam voluntatem, & non resistentem, vel reluctantem, sed potius & subjectam divinæ ejus atque omnipotenti voluntati. Oportebat enim carnis voluntatem moveri, subjici verò voluntati Divinæ juxta sapientissimum Athanasium. Sicut enim ejus caro, caro Verbi Dei dicitur, & est, ita, & Naturalis carnis ejus voluntas propria Dei Verbi dicitur, & est, sicut ipse ait*: Et infra: *Nec enim in quoquam unam dabimus naturalem operationem Dei, & Creaturæ, ut neque quod creatum est in Divinam inducamus essentiam, neque quod eximium est Divinæ Naturæ ad competentem Creaturis locum dejiciamus. Unius enim, ejusdemque tam miracula, quam passiones cognoscimus secundum aliud, & aliud earum ex quibus est Naturarum, & in quibus habet esse, sicut admirabilis inquit Cyrillus. Undique igitur inconfusum, atque indivisum conservantes brevi voce cuncta proferimus unum Sanctæ Trinitatis, & post Incarnationem Dominum Nostrum Jesu Christum Verum Deum Nostrum esse credentes, asserimus duas ejus esse Naturas, in una ejus radiante subsistentia, in qua tam miracula, quam passiones per omnem sui dispensativam conversationem, non per phantasiam, sed veraciter demonstravit ob naturalem differentiam in eadem una subsistentia cognoscendam, dum cum alterius communione utraque natura indivisè, & inconfusè propria vellet, atque operaretur, juxta quam rationem & duas voluntates, & operationes confitemur ad salutem humani Generis convenienter in eo concurrentes. His igitur cum omni undique cautela atque diligentia à nobis formatis definimus, aliam Fidem nulli licere proferre, aut conscribere, componere, aut sapere, vel etiam aliter docere*. Et postea transit ad solitas pœnas. Qua stante S. Concilii auctoritate concordante cum Concilio La-

Lateranensi sub S.Martino I. opus non est aliud addere, sed sequentibus allocutionibus Epistolam meam concludere.

§. XIII.

Ad Illustrissimos Dominos Episcopos Allocutio.

173. QUum ita hæc sint, Illustrissimi Domini, bene videtis, quam solidis fundamentis stabilitæ constent Orthodoxæ veritates de duabus in Christo Domino Naturis, & duabus voluntatibus, & operationibus, etiamsi aliud non adesset quam auctoritas Concilii Calcedonensis *630.* Patribus magna doctrina præditis compositi, & sextæ Synodi compositæ ex Patribus pariter doctissimis: Videtis, etiam quod tametsi hæ doctrinæ in præfatis SS. Conciliis non fuissent definitæ, earum veritas ex Evangelio, & SS. Patribus nedum Athanasio & Cyrillo, verum etiam reliquis omnibus SS. Patribus Orientalibus & Occidentalibus comprobatæ, & demonstratæ manet; & quidem non ex SS. Patribus, qui post Concilium Chalcedonense, & Sextam Synodum scripserunt, sed, quoad doctrinam duarum Naturarum cum illis solis, qui Chalcedonense præcesserunt; & quoad duas voluntates, & operationes, cum illis qui pariter ante Sextam Synodum scripserunt. Videtis insuper eam nedum concludentibus rationibus confirmatam, verum etiam ostensis absurdis, & hæresibus quæ sequerentur si una tantum Natura esset in Christo, unaque sola voluntas; & operatio. Videtis etiam non solum plene satisfactum iis omnibus argumentis, quibus Eutyches, & Vestri etiam Nationales illos sequentes suam unicam Naturam in Christo defendebant, sed etiam ex ipsismet argumentis amplius & amplius demonstratam veritatem duarum Naturarum in Christo.

174. Videtis itidem clarè demonstratum, Confessiones Vestræ Liturgiæ, Margaritæ pretiosæ, & libri *Fides Patrum* esse Catholicas & conformes doctrinæ, quam Ecclesia Romana cum Evangelio, Sacris Conciliis Chalcedonensi, & Sexta Synodo, & cum SS. Patribus confitetur. Et etiam ostensum, quod, si in iis Vestræ Nationes sisterent, & extra Liturgiam non adderent id, quo illas destruunt, negando id ipsum quod in dictis Confessionibus protestantur, profecto cum eadem Ecclesia Catholica convenirent. Videtis etiam de medio sublatas omnes æquivocationes quas Vestri patiuntur, & quibus credunt sustinere suos errores posse. Et tandem videtis, & bene scitis, & sciunt Nationes vestræ, quod eam Fidem, quam de duabus Naturis, voluntatibus, & operationibus Catholica Romana Ecclesia confitetur, & docet, eandem sequuti fuerunt, & in ea, suam Sacram Liturgiam sequendo, vixerunt ex eisdem vestris Nationibus innumeri SS. Anachoritæ; qui deserta sua veluti populosas Civitates habitabant, & in cœlestem paradisum conversa habebant. Et ultra ipsos multi etiam SS. Patriarchæ, & Episcopi, quos omnes & ipsi, & Ecclesia Romana in altaribus venerantur, & colunt, qui omnes cum fide ejusdem Liturgiæ vixerunt, & ad æternam gloriam evolarunt. Tum etiam ex cuncta Romana Ecclesia tot agmina SS. Martyrum, Episcoporum, Doctorum, Confessorum, ac Virginum, quæ in sacris Altaribus veneramur, & colimus, qui in eadem fide de duabus Naturis, duabus voluntatibus, & operationibus in Christo vixerunt. Tum insuper ex eadem tot Imperatores, tot Reges, tot Episcopi, tot Monachi, tot Sapientissimi Viri sanctitate, & doctrina insignes, & tot Populi Christiani à nascente Ecclesia ante hos Hæresiarchas in eadem Fide etiam vixerunt.

175. Hæc omnia Dilectissimi à Nationalibus

nalibus Vestris ignorari non possunt, sicut nec ignorant, quod hodie in eadem Fide vivunt tot Regna Catholica eam defendentia, & illustrantia, & contrariam doctrinam tanquam hæreticam impugnantia; tot sacræ institutæ in Ecclesia Romana Religiones, quæ numerum centesimum excedunt ex Viris doctissimis in Scriptura Sacra & operibus SS. Patrum Græcorum, & Latinorum versatissimis, compositæ; tot Insignes Universitates, quæ vix numerari possunt, in quibus omnes scientiæ edocentur; tot præclarissimi Doctores, & Scriptores sapientissimi, & eruditissimi, qui suis studiis Ecclesiam mire illustrant. Sed nec hi solum has veritates cum Ecclesia Catholica confitentur, sed, ut bene sciunt magna etiam pars Ecclesiarum Orientalium easdem veritates de duabus Naturis, voluntatibus, & operationibus in Christo Domino fatentur, non obstante quod in aliis catholicis veritatibus, proh dolor! tot sint, qui cum Ecclesia Catholica Romana earum Matre non conveniant. Hæc omnia ut dixi, Illustrissimi Domini, à vestris Subditis magna ex parte ignorari non possunt, sicut nec ignorant, Orbem totum Christianum & Catholicum contra se habere, uno ore omnes fatentes, Fidem Sacræ suæ Liturgiæ à SS. suis Patriarchis ipsis traditæ deseruisse [non obstante quod eam sequi quotidie protestentur] ut hæreses Eutychetis, Sergii, Pyrrhi &c. amplectantur.

176. Porro ex his omnibus bene persuasi eritis de magno errore in quo Nationales vestri vivunt: Dico Nationales vestri, quia de vobis credo, quod cum solis testimoniis, & Auctoritatibus SS. Athanasii, & Cyrilli in hac mea Epistola tot in locis expositis; adeo plene satisfacti de his veritatibus jam eritis, ut alio non indigeam, quam à vobis humiliter petere; quod agnoscendo miserum statum, in quo Subditi vestri, hos errores sequendo, vivunt, zelo Dei inardeatis, ut illos illuminare de his veritatibus duarum Naturarum, duarum voluntatum, & operationum in Christo curetis, ut attrahere ad viam salutis eos omnes possitis. Bene, iterum dico, persuasi eritis de magno errore in quo hi miseri vivunt, qui, licet Sanguine Christi Domini se credant redemptos, & in Sacro Baptismatis lavacro ab ipso instituto ablutos, tamen credunt posse præfatos Hæresiarcas Eutychetem Sergium &c. in his suis de una Natura, una voluntate, & una operatione erroribus sequi, ipsum Christum Dominum, qui pro ipsis mortuus fuit destruendo, suam sacram Liturgiam cum reliquis suis laudatis Confessionibus deserendo, his suis erroribus eam maculando, sibimetipsis contradicendo, & idipsum quod in ea confitentur negando, suos SS. Patriarchas Athanasium, & Cyrillum despiciendo, & SS. omnes Patres Græcos, & Latinos contemnendo, &, quod magis est, Sanctum Evangelium, & Sacrosancta Concilia Generalia in Spiritu Sancto congregata, & ab eo directa ipsismet erroribus impugnando. Poteſtne Dilectissimi, major error excogitari? Qua sana mente possunt credere quod auctoritas unius Hæresiarchæ Eutychetis, qui hanc unicam Naturam in Christo somniavit, & ideavit, vel eorum, qui, in quacumque dignitate eos consideremus, eam amplexi, & sequuti fuerunt, superare possit auctoritatem sexcentum & triginta Patrum, qui Concilio Chalcedonensi congregati, & Spiritu Sancto illuminati astiterunt, & uti hæreticam eam damnarunt. Et quod pariter auctoritas illius alterius Hæresiarchæ Sergii, & eorum sequacium unam solam voluntatem, & unam tantum operationem in Christo admittentium, superare similiter possit auctoritatem Patrum, qui in Sexta Synodo ab eodem Divino Spiritu illuminati, & directi, hanc doctrinam uti hæreticam etiam proscripserunt. Certè illud vel somniare,

re, uti delirium haberi deberet, quando incredibilis temeritas foret credere, vel etiam somniare, quod auctoritas Eutychetis, Sergii, Pyrrhi, & aliorum similium eos sequentium, & si infiniti hi essent, superare posset auctoritatem omnium SS. Patrum Græcorum, & Latinorum, tot Regnorum Catholicam Fidem in dictis Sacrosanctis Conciliis definitam amplectentium, tot Sacrarum Religionum, tot insignium Universitatum, tot Sapientissimorum Doctorum, tot illustrium Scriptorum nedum in eadem fide viventium, verum etiam eam illustrantium, & contrarias hæreses acriter, & nervosissime impugnantium, & conterentium?

177. Et tamen quia unus Patriarcha Dioscorus, qui æquivocatione data, vel accepta, hanc unam naturam cum Eutychete docuit, illum, relicta tanta auctoritate supra exposita, qua in mundo nulla major esse potest, sequi volunt; acsi ejus dignitas, & auctoritas superare posset auctoritatem Romanæ Ecclesiæ, & Sacrorum Conciliorum in Spiritu Sancto congregatorum, & tot agmina Sanctorum, & eorum omnium, qui expositi manent; quando auctoritas sola, & Dignitas Patriarchalis SS. Athanasii, & Cyrilli sufficere poterat ad superandam mille aliorum Patriarcharum Dignitatem, & auctoritatem. Ignorantne inter duodecim Apostolos unum fuisse, qui prævaricatus est? Possent defendi, qui illum sequerentur, dicendo sequi unum Apostolum, qui electus ad Apostolatum, vocatusque ab ipso Christo Domino fuit? Justificari coram Deo possent, quia evectum ad auctoritatem tantam, uti est Apostolatus, sequebantur? Certè non. Quare ergo quando unus Apostolus à Domino electus inter solos duodecim Sanctissimos Apostolos ita erravit, non credent, unum Dioscorum errare potuisse inter tot SS. Patriarchas, & viros sapientissimos, & errare consequenter potuisse, qui illum sequebantur, ut ita illum, & illos cæco modo sequi velint, & animas suas perdere, pro quibus ipse Christus Dominus, quem ita destruunt, unam solam Naturam, unamque solam voluntatem, & operationem in eo fingendo, sanguinem suum fudit, & tanti eas habuit, ut in patibulo Crucis vitam suam pro eis redimendis dederit: quando etiamsi dubium aliquod pater mendacii, his omnibus non obstantibus, illis suggereret, semper viam securam amplecti deberent, torrentem tot auctoritatum sequendo?

178. Certe Illustrissimi Domini, permittere hoc non potestis, & quod Subditi vestri ita in his erroribus vivant, eam circa mysterium Incarnationis Fidem deserendo, quam in sua Liturgia majores sui ipsis reliquerunt. Quomodo in re tanti momenti, ex qua infinitarum animarum æterna salus pendet, sufferre potestis, ut contra vestram Sacram Liturgiam, qua vestri primi majores Patriarchæ SS. Athanasius, & Cyrillus, & alii, qui eos præcesserunt, tanquam veri Catholici usi fuerunt, & adhibendam vobis, & ipsis reliquerunt, eam sic tractent, quod contra ipsam, ejusque Catholicam Confessionem id credere dicant, quo eam destruunt, & SS. Patriarchas suos, qui eam efformarunt, ita graviter offendant, acsi in ea efformanda erravissent, & Nationibus suis aliquid veræ Fidei contrarium reliquissent; quia in ea insertam non vident Doctrinam Eutychetis, Dioscori, Sergii, & Pyrrhi, & eorum ipsos sequentium, qui tanquam veram Fidem docuerunt contrariam ei, quæ in Liturgia continetur? Quæ major offensa potest illis inferri? Quod si errasse non credunt, quia ut Sanctos, & Sanctissimos eos in Altaribus colunt, necesse est, ut fateantur ipsos errare, contrarium edocendo, & id addendo quod supradicti pariter errando edocuerunt, quo eidem Sacræ Liturgiæ, sicut & reliquis confessionibus, eas destruendo evidenter se opponunt.

Adeo

Adeo pro comperto habeo, Dilectissimi, quod magnam vim hęc omnia vobis inferent, ut zelo Dei inardescentes, minime permissuri sitis, quod extra vestram Liturgiam, quam conservare semper illæsam debetis, prævaleat illud, quod Vestri addunt, defendunt, & credunt, in quo conveniunt cum Eutychete, tanquam laudatis vestris catholicis confessionibus contrarium, & illarum destructivum.

179. Scio benè, à vobis hoc additum inventum non esse, & quod ita cum illo procedere vestras Nationes permittitis, quia & vestri majores illud permiserunt. Nolo disquirere de motivo, quo vestri majores, & prȩsertim Dioscorus, quem iidem modo sequuntur, (licet bene sciant, aut scire illud debeant) non obstante quod Eutychetem ejusque hæresim de confusione Naturarum omninò detestati fuerunt, tamen crediderunt sustineri posse dicere cum illo, unam solam Naturam esse in Christo ex duabus Naturis, & non in duabus, addendo postea ex quo audierunt Sergium, Pyrrhum &c. unam solam voluntatem, unam solam operationem esse, & fuisse in Christo, ut illos etiam sequerentur, & sic magis ac magis ab Ecclesia Romana separari possent, addendo inquam, ad melius sustinendam doctrinam de una sola Natura, unam solam voluntatem, & unam solam operationem in Christo Domino. Sed cum in hac mea Epistola, Dilectissimi, jam vobis exposuerim id, quod forsitan illi vestri primi post Eutychetem, & Dioscorum majores præsens non habuerunt, nimirum tot testimonia relata §§. III. & IV. per totos, nempe ex omnibus SS. Patribus, qui Concilium Chalcedonense præcesserunt, & inter eos ex SS. Athanasio, & Cyrillo, quæ omnia testimonia si vidissent, certe non unam solam Naturam in Christo cum Eutychete admisissent, sed duas Naturas inseparabiliter, & inconfusè in Christo hypostaticè unitas confessi fuissent, in quibus ipse personaliter subsistit, & duas consequenter voluntates, & operationes, ut pariter vidistis *per totos integros* §§. *XI. & XII.* nec cum eodem Eutychete docuissent Christum Dominum subsistere, & esse ex duabus Naturis, sed non in duabus, quia una tantum est, in qua personaliter Christus subsistit, si legissent illud præclarum S. Cyrilli testimonium, quod repetere non recuso [*ex libro X. thesauri cap. 7.*] ubi ait: *Vnus profectò Dominus Jesus Christus est, non duo, & unus hypostaticè, atque personaliter IN DVABVS NATVRIS. Deus enim Hominem assumpsit atque induit, & ideo dicitur Verbum caro factum esse.*

180. Et pariter nec vestri majores credidissent eumdem S. Cyrillum unam solam Naturam docuisse, si præter tot testimonia ex ejus operibus, & ex Concilio Ephesino, (quod merito tanti habebant, & Vestri habebant) §. III. hujus epistolæ allata, in quibus nedum duas Naturas in Christo fatetur, verum & fidei contrarium esse docet unam solam in eo admittere, legissent illud singulare testimonium, quod habent in commonitorio ad Eulogium Presbyterum, quod exposui §. IX. in quo vidistis ex responsione data ab eodem Sancto Doctore illis, qui de eo conquerebantur, quod approbasset, & laudasset confessionem Orientalium de duabus Naturis in Christo, objiciendo illi, quod hac sua approbatione occasionem præstabat, ut Nestoriani eum crederent cum illis in sua Doctrina consentire. In qua responsione apertè Sanctus Athanasius nervosissimè defendit, quod cum homo non sit consubstantialis Verbo (ex qua consubstantialitate una sola Natura resultaret) necessariò dici debet in Christo duas Naturas esse, uti Orientales dicebant, & ipse approbaverat. Nam cum ex his duabus Naturis in una sola persona inseparabiliter, & inconfusè unitis unus solus Christus, unus solus Filius, & una sola persona resultet, & non duæ, nunquam dici poterat, ex assertione,

& approbatione harum duarum Naturarum ipsum assentiri Doctrinæ Nestorii, qui licèt duas etiam Naturas in Christo poneret, illas tamen docebat separatas, duas personas, ac duos Filios, imo & duos Christos constituentes.

181. Quis enim, iterum repeto, dubitare poterit, quod si primi majores vestri qui Doctrinam de una sola Natura, & de una sola consequenter voluntate, & operatione tradiderunt, relata omnia S. Cyrilli testimonia, exposita, & S. Athanasii cum reliquis subsequentibus omnium Sanctorum Patrum præsentia habuissent, unquam admisissent illam solam unicam Naturam, quam Eutyches in Christo admittebat, nec credidissent SS. Athanasium, & Cyrillum in hoc illis favere? Cum ergo, Dilectissimi, vos modo videatis, primos majores vestros præsentia (ut credo) ea non habuisse, atque ideò in sua Doctrina errasse, & dubitare jam non possitis de iis omnibus, quæ ad oculos in hac Epistola habetis, & consequenter de veritate duarum Naturarum, voluntatum, & operationum, optimè agnoscetis obligationem, in qua hoc vos ponit, ut Subditos vestros de hoc doceatis, ut credant *in Christo Domino duas esse Naturas inseparabiliter, & inconfusè in una persona unitas, unaquaque servante quod sibi proprium erat, ut duas pariter voluntates, & operationes Divinam, & Humanam,* ut in vestra Liturgia singulis diebus confitemini, sicut, & antiquiores Prædecessores vestri, qui ante Eutychetem clavum earundem vestrarum Ecclesiarum tenuerunt, & ex eadem Liturgia confitebantur, & uti etiam Prædecessores illi vestri, qui edocti à suis primis Majoribus, qui Eutychetem in hac parte sequuti fuerunt, & illis successerunt, procul dubio confessi fuissent, si hæc omnia vobis exposita præsentia habuissent, quæ omnia millies repetere vellem. Et sic non miremini, Charissimi, quod eadem multoties repetam, & in ipsis expendendis, vel declarandis amplius me diffundam, & prolixius procedam eo, quod opus esset, si alii essent cum quibus agerem; sed cum agam cum vestris Nationalibus, adeo in suis doctrinis per tot sæcula tenacibus, necessariam hanc meam repetitionem, & prolixitatem existimo, ut ex repetitione amplius & amplius persuasi remanere possint.

182. Scio bene, quòd durum ipsis videbitur aliam Doctrinam sequi ab ea, in qua per tot sæcula Parentes, Avi, Proavi, & omnes sui Majores vixerunt. Sed si à vobis de his omnibus edoceantur, quæ jam exponam, indubiè credere debetis, quòd placidè, & cum gratiarum actione hanc Catholicam doctrinam amplectentur. Patienter pro consolatione mea, & sua, ea audite, quæ proponere illis potestis.

183. Primum sit quod in hac doctrina nihil novum credendum illis traditur, quòd in sua Liturgia non contineatur, quodque crediderunt omnes sui Majores, qui Eutychetem præcesserunt, quod facilè agnoscent, ea omnia ipsis declarando, quæ in ea continentur, uti declarata manent §. X. *Et* insuper certos eos faciendo de eo quod majores sui, qui tempore Eutychetis vixerunt, & ab eo, & postea à Sergio, & Pyrrho has Hæreticas doctrinas de una sola Natura, una voluntate, & una operatione sumpserunt eo ortum habuit, quod non reflexerunt ad ea, quæ in dicta Liturgia, & reliquis laudatis confessionibus continebantur, & ad testimonia omnia SS. Athanasii, & Cyrilli, quæ in ejus operibus extant (quæ fidelissime in hac Epistola sunt transcripta, ut facile videre poteritis ea conferendo cum operibus horum SS. Doctorum, & si omnia præ manibus non habeatis, multa ex à me expositis conferre potestis cum illis quæ extant in Concilio Ephesino, ex quo ferè omnia testimonia S. Cyrilli desumpsi, & idem dico de testimoniis reliquorum Sanctorum Patrum, quæ in hac mea Epistola

stola continentur, si ea conferre cum suis operibus curetis, & de aliis testimoniis desumptis ex SS. Patribus laudatis in Concilio Chalcedonensi, & Lateranensi.) Instructi enim de eo, quod nihil credendum illis traditur, quod in dicta sua Liturgia, & laudatis confessionibus Margaritæ pretiosæ, & libri Fides Patrum non contineatur, sicut etiam in operibus SS. Athanasii, & Cyrilli, & in Concilio Ephesino ad literam continentur, nullam difficultatem invenient in hac Fidei veritate amplectenda, quam Ecclesia Catholica Romana cum Evangelio, cum Sanctis Patribus, & Concilio Chalcedonensi docet, & credit; etiamsi alia sit ab ea quam ex suis Majoribus Eutycheti contemporaneis hodie sequuntur. Et si hoc non sufficiat.

184. Secundum sit, quod ob oculos illis ponatis, quod Apostolus Paulus (*ad Galatas capite* 1.) scribens ait: *Licèt nos aut Angelus de Cœlo evangelizet vobis, præterquam quod evangelizamus vobis, anathema sit*. In qua Apostoli sententia bene intelligent, quod in die tremendi Judicii nulla satisfactio coram Deo erit, quod dicant sequutos fuisse, quod Dioscorus, Majoresque sui illos docuerunt. Namque si Apostolus ait, quod neque Angelo aliud docenti ab eo, quod ex Evangelio nobis ab Ecclesia traditur, est credendum, multo minus Dioscoro, & his, qui hæresiarcham Eutychetem sequendo contrarium docuerunt doctrinæ, quæ ex Evangelio ab Ecclesia Catholica Romana cum Sanctis Conciliis, & cunctis SS. Patribus Græcis & Latinis, & tot efficacissimis rationibus nobis traditur, cum nulla potestas, nulla auctoritas sit in hominibus, nec in Angelis ad Fidem destruendam, quæ ex Evangelio nobis est tradita. Et cum in die judicii, æternum supplicium, vel præmium æternæ gloriæ, quod Dominus nobis collaturus est, non conferet per sensum, & sententiam hominum, qui nos à Fide separant, sed per Evangelium, doctrinamque ab Ecclesia Sancta, Sanctis Conciliis, & Ecclesiæ Patribus nobis traditam, inde ex hoc benè intelligent, in re tanti momenti, ex qua eorum æternæ gloriæ præmium, vel æternum supplicium pendet, nihil illis proficere posse suorum Majorum sententiam, uti à supplicio æterno liberentur. Cum nec auctoritas Eutychetis, nec Dioscori prævalere possit nec in minimo comparari cum auctoritate cunctorum SS. Patrum.

185. Tertium, quod vestros subditos maxime urgebit, ut Evangelium, & Ecclesiam Romanam sequantur, & non eos, qui ut homines erraverunt, uti omnes errare possumus, præsertim præoccupati vel amicitia, vel affectione, quam erga Eutychem habebant, ut de Dioscoro non ignorant hoc fuisse motivum illum sequendi, vel defectu reflexionis, vel alio etiam culpabili titulo, est, quod si hæc excusatio coram Deo sufficere posset, omnes errores, cunctæque hæreses, & eas sequentes salvari possent, nullusque ex eas sequentibus damnari. Itaque liberum esset hominibus, nationibusque omnibus sequi errores, & hæreses, quas Majores sui sequuti fuerunt. Et hac ratione Nestoriani securi de eorum salute æterna viverent in suo errore. Etenim arguendo illos de sua hæresi, respondere poterunt, eos sequi Majores suos, qui Nestorium sequuti fuerunt. Cum ergo Nationales vestri securos illos hac sua responsione non judicabunt, & uti hæreticos semper habebunt, uti habent, ex hoc clare agnoscent nullam pariter securitatem illis dare posse id sequi, quod Majores sui sequuti fuerunt. Idem argumentum illis efformare potestis de Apollinaristis, & de Arianis, si qui hodie sint, & de quibuscumque alias hæreses sequentibus.

186. Et quo amplius, & amplius eos urgere potestis est, quod si hæc responsio prævalere posset, hæreses in Ecclesia ortæ inextinguibiles omninò essent,

essent, præsertim eæ, quæ per longum tempus prævaluerunt. Nam omnes eas sequentes manuteneri, & defendi curarent, dicentes ipsos sequi suos majores, qui eas doctrinas sequuti fuerunt, à quibus recedere nolunt, cum tamen de opposito experientia illos doceat, cum nulla hæresis à nascente Ecclesia tamdiù prævaluerit, tamque extensa ac sequuta fuerit nedum ab Imperatoribus, Regibus, Episcopis, verum etiam à ferè omni Orbe Christiano, quam hæresis Ariana, & tamen extinctam, vel ferè, hodie eam vident, quod certè non accidisset, si vim aliquam hæc responsio haberet, adhuc enim hæresis perseveraret, si eam sequentes agnovissent protegi se posse, & securos reddi hac responsione, dicentes, se sequi, quod nedum Majores sui, sed & ferè totus Orbis Christianus sequebatur.

187. Et iterum conversi ad eos, interrogate, quare extincta fuerit hæc hæresis, sicut, & aliæ multæ, quæ variis temporibus prævaluerunt? Et certè dicent, quia in Sanctis Conciliis, auctoritate Sacræ Scripturæ, & SS. Patrum fuerunt damnatæ. Cum ergo hoc sufficiens fuerit, ut omnes agnoscerent, quod ut salvi fierent, opus illis erat, errorem, quem sequebantur, deserere, & detestari non obstante, quòd tam extensum fuerit, & à Majoribus suis constanter defensum, & sequutum. Ex hoc amplius, & amplius confirmati de hoc manebunt, quod cum pariter à Sanctis Conciliis nedum Chalcedonensi, verùm etiam à Quinta, & Sexta Synodo, auctoritate Evangelii, & SS. Patrum fundatis, hæc sua doctrina fuerit damnata; & insuper exposita videant tot testimonia ejusdem S. Evangelii, & SS. Patrum concorditer cum tot concludentibus rationibus docentium duas Naturas, duas voluntates, ac duas operationes in Christo Domino, quas negant, sic agnoscent idem facere teneri, quod sequaces Arii fecerunt, suam abominando doctrinam, non obstante quòd eam sequuti, & edocti à suis Majoribus fuerint, ut salvi esse possint, gloriaque æterna non priventur.

188. Quartum, quod maxime etiam vestros urgebit, est, quod nedum Sancti Patres, verum etiam Gentiles agnoverunt, quod exempla Majorum non solum nullam dant securitatem, quando in veritate non fundantur, sed etiam multa mala nobis afferunt. Pro quo demonstrando proponite illis, Dilectissimi, Senecam, qui, licèt Gentilis (*lib. 22. epist. 124.*) hæc habet: *Inter causas malorum nostrorum est, quod vivimus ad exempla, nec ratione componimur*. Et (*lib. de vita beata cap. 1.*) etiam ait: *Ne pecorum ritu sequamur antecedentem gregem pergendo non quo eundum est, sed quo itur*. Proponite etiam illis Tertullianum (*lib. de velandis virginibus cap. 1.*) qui ait: *Hoc exigere veritatem cui nemo præscribere potest, non spatium temporum, non patrocinia personarum, non privilegium regionum. Ex his ferè consuetudo initium ab aliqua ignorantia, vel simplicitate sortita per successionem corroboratur, & ita adversus veritatem vindicatur. Sed Dominus Noster Jesus Christus veritatem se, non consuetudinem cognominavit. Si semper Christus, & prior omnibus æque veritas sempiterna, & antiqua res est. Viderint ergo, quibus novum est, quod sibi vetus, hæreses non tam novitas, quam veritas revincit. Quodcumque adversus veritatem sapit, hoc erit hæresis*.

189. Et memoramini etiam illis, quod hoc est, de quo Salomon conquerebatur (*Sapientiæ cap. 14.*) dum ait: *Interveniente tempore convalescente iniqua consuetudine, hic error tanquam lex custoditus est, & Tyrannorum imperia celebrantur figmenta*. Et alibi (*Ecclesiastici cap. 34.*) *Multa vidi errando, & plurimas verborum consuetudines, aliquoties usque ad mortem periclitatus sum horum causa*. Et aliis multis omissis, exponite ipsis S. Augustinum de Doctrina

ctrina Christiana, qui (*lib. 3.*) hæc habet: *Quoniam proclive est humanum Genus, non ex momentis ipsius libidinis, sed potius suæ consuetudinis æstimare peccata, fit plerumque, ut quique hominum ea tantum culpanda arbitrentur, quæ suæ regionis, & temporis homines vituperare, atque damnare consueverunt, & ea tantum probanda, atque laudanda, quæ consuetudo eorum, cum quibus vivit, admittit, eoque contingit, ut siquidem scriptura vel præceperit, quod abhorret à consuetudine audientium, vel quod non abhorret culpaverit, si animum eorum jam verbi vinxit authoritas, figuratam locutionem putent .... Si animum præoccupavit alicujus erroris opinio, quidquid aliud asseruerit scriptura, figuratum homines arbitrantur. Non autem asserit, nisi Catholicam Fidem.*

190. Quintum, quod proponere etiam illis potestis, est, ut considerent quod ultra authoritatem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, Sanctorum Conciliorum, & Sanctorum Patrum damnantium, uti hæreticam, doctrinam de una Natura in Christo, & una voluntate, & operatione, & definientium, ac docentium, duas Naturas in eo esse confitendas, duas voluntates, ac duas operationes: Considerent, inquam, hanc Catholicam veritatem nedum sequi magnam partem Orientalium, verùm etiam omnia Regna Catholica in quibus maximè viget studium literarum in tot sanctis Religionibus in ipsis fundatis, tot Universitatibus, ac publicis scholis, in quibus scientiæ omnes docentur, & in quibus tot sunt insignes Scriptores versatissimi in Sacra Scriptura, Sanctis Patribus, Fidei Catholicæ Dogmatibus, & in confutatione errorum omnium, & hæresum, quæ à nascente Ecclesia in ea ortæ fuerunt, & ubi tot etiam sunt omnium scientiarum libri Selectissimi, insignesque, & locupletissimæ Bibliothecæ; Cum benè, Dilectissimi, sciatis, quod hæc omnia hodie in vestris Nationibus deficiunt (de quo vobiscum maximè condoleo) ex hoc arguere eos potestis quanto majori ratione debent eos sequi, qui illuminati studio Sacrarum Scripturarum, & Sanctorum Patrum, quippe versatissimi sunt in Fidei dogmatibus, quam eos, qui aliam rationem de Doctrina quam sequuntur, dare non possunt, quam quod eam à suis Majoribus audierunt, & ab ipsis didicerunt, hoc solo contenti, acsi id salvare eos posset.

191. Sextum quod proponere illis potestis, quodque sine dubio valde eis placebit, est, quod hac fidei confessione de duabus Naturis pariter, & voluntatibus, ac operationibus consequuta unione cum S. Romana Ecclesia à qua per tot sæcula disjuncti inveniuntur, nedum consequentur salutem animarum suarum, & in statu salvationis poni, & recedere ab illo perditionis æternæ in quo hodie inveniuntur, verum etiam quod in sinu ejus viventes cura Romanorum Pontificum erit ut Scholas, & Magistros habeant, in quibus juvenes edoceri possint non solum de his, quæ ad æternam salutem pertinent, sed etiam edoceri pariter possint de illis omnibus, quę pertinere possunt ad perfectam eorum educationem, & instructionem tum erga obedientiam debitam suis Episcopis, & Parochis, tum erga debitam Superioribus suis qui eos in temporalibus gubernant, quibus etsi alienæ Religionis sint, debitam obedientiam, & fidelitatem præstare debent in iis omnibus quæ ad regimen suum temporale pertinent, tum etiam erga parentes suos, & Majores eos omnes, sub quorum potestate vivunt, ut ita divinam legem observantes vitam æternam, ad quam creati fuerunt, consequi possint; & edoceri pariter possint de Mysteriis fidei eorumque declaratione, de Sacramentis, debitaque dispositione ad ea recipienda, & ministranda, de Dei mandatis, quæ in Decalogo continentur, & quidquid pertinet ad eorum declarationem, & observantiam, & de iis, quæ ad orationem, & verum Dei cultum pertinent.

192. Pro

192. Pro quo etiam valde illis proficiet providentia quam Romani Pontifices habebunt de eo, quod provisi sint de libris in lingua sua quibus juvari omnes possint ad vitam Christianam peragendam, huncque finem consequendum. Quæ omnia bona de quibus hodie privati inveniuntur, & perpetuo erunt, dum vivant in hoc suo voluntario errore disjuncti à Romana Ecclesia, bene agnoscent, quam magnum beneficium in spiritualibus, & temporalibus afferent nationibus suis, quam specialem protectionem Divinæ clementiæ semper experientur, quam singularem gloriam erga cuncta Regna Catholica, totamque Christianitatem, quam ingentem consolationem, & quietem animarum suarum, quamque securam in Domibus, rebusque suis prosperitatem.

193. Septimum quo facile, Illustrissimi Domini, hæc omnia quæ desiderare tantùm debetis, consequemini, & ipsi consequentur, est, si curetis seligere ex hac Epistola ea præcipua testimonia, & rationes, quæ vobis videantur magis efficacia ad illos convincendos, & ad confessionem hujus veritatis Catholicæ attrahendos, & ea vestris Parochis tradatis, ut de iis Plebes suas instruant: hac via brevissime videre poteritis Subditos vestros ad agnitionem veritatis venire. Præsertim si etiam utamini opera piorum Monachorum, qui in vestris Diœcesibus sua Monasteria habeant, qui poterunt vos maximè juvare, eadem testimonia transcribendo, & copias multiplicando, quæ ad manus Ecclesiasticorum, & Secularium perveniant, de quibus non dubito, quod de hac veritate convicti, vos religiosissimè in hoc juvabunt; & in his omnibus valde vos etiam juvabunt Missionarii qui in vestris degant Diœcesibus. Nam alia via est difficile, quod ad omnium manus hæc mea Epistola pervenire valeat; licèt curaverim, quod prælo data ad multorum, & præcipuè Religiosorum, & Parochorum manus pervenire etiam possit. In præfatis enim copiis transcriptis videre poterunt, quantum erraverint in judicando SS. Patriarchas Athanasium, & Cyrillum in suo sensu fuisse, & hanc suam Doctrinam docuisse, quando in dictis Testimoniis observabunt, nedum SS. Athanasium, & Cyrillum; verum etiam SS. suos Patres Gregorium Theologum, Basilium, Chrysostomum, Gregorium Nyssenum, Dionysium Areopagitam, Irenæum, Epiphanium, Ephræm in eo sensu, ut judicant, non fuisse, quod una tantum natura in Christo esset, unaque sola voluntas, & operatio, cum apertè hi SS. Doctores (qui omnes Orientales sunt) contrarium doceant: & cum ultra eos idem docuisse in hac Epistola habeant tot Sanctos Episcopos & Patriarchas Orientales, ut sunt S. Hippolytus Martyr S. Clementis Alexandrini discipulus, S. Cæsarius, S. Amphilochius, B. Severianus, B. Flavianus, S. Proclus, S. Cyrillus Hierosolymitanus, S. Dionysius, B. Atticus, Theophilus Patriarcha Alexandrinus, & Didimus Alexandrinus, Antiochus, & Constantinus; quorum Testimonia exposita manent in hac mea Epistola §. IV. & hoc quidem ultra Ecclesiæ Latinæ SS. Patres, & Doctores, Justinum, Ambrosium, Augustinum, Hieronymum, Hilarium, Zenonem, Gregorium Illiberitanum; quos unicè in hac mea Epistola exposui, qui Concilio Chalcedonensi præcesserunt, omissis plusquam quinquaginta Sanctis Patribus, quorum testimonia afferre possem, & uti posteriores præfato Chalcedonensi Concilio prætermisi, quia plenam fidem eis vestri non præbent.

194. Hac via, Illustrissimi Domini, consequemini, quod desiderare debetis, quandoquidem his mediis applicatis, & Parochis de eo, quod docere debent Plebes suas, benè instructis, confidere certò potestis in Divina Clementia, quod desiderium vestrum juvabit, & adimplebit, & sensim sine sensu Diœceses vestras videbitis ad Dominum conversas, & in Sancta Religione benè instructas, vobisque in vera fide, & cum Catholica

Ro-

Romana Ecclesia unitas. Quandoquidem Subditi vestri, ut Historiæ, quæ de Nationibus vestris loquuntur, planè testantur, sunt optimæ indolis; dociles, pii, ac suis Episcopis obedientissimi, quibus optimis qualitatibus cum sint præditi, & de reliquis Fidei veritatibus non ignari, facilius hoc consequi potestis. Præsertim curando, ut alius alium non impediat, ut hanc viam salutis amplectatur; sed omnes in sua libertate relinquantur. Et si aliqui adeo tenaces in sua Doctrina sint, ut aures suas præbere nolint veritati, quæ illis annunciatur, non miremini: Diabolus enim officium suum non desinet exercere, sed confidite in Domino, quod & isti exemplo vestro, & eorum, qui vos sequentur, tandem venient ad viam salutis cognoscendam, & amplectendam. Hoc non est opus unius diei. Cum enim Patriarchas suos unitos cum Ecclesia Romana videant, & exinde suos Episcopos, non dubitetis, quod pauci, & forsan nulli erunt, qui ad eandem Doctrinam, & veritatem amplectendam, quam Pastores sui amplexi sunt, non deveniant: tanta est pietas, & bona indoles Subditorum vestrorum.

195. Non miremini, Dilectissimi, quod tanta securitate in hoc procedam, vos supponendo de hac veritate adeò certè convictos, ut transierim ad hæc media vobis ministranda, quibus consequi possitis vestras Diœceses ad viam veritatis reducere: Non inquam miremini, quia adeo securus in hoc procedo, credendo, quod nec minimum dubium hæc Epistola vobis relinquet de hac veritate duarum Naturarum, duarumque voluntatum, & operationum in Christo, ut nefas esset, uti proximè dixi, de pietate, & ingenuitate vestra aliud credere, vel dubitare; Et in eadem securitate semper vivam, quod præsentem habendo statum vestrarum Nationum, & illud Hjeremiæ 1. quod cum Prælatis loquitur: *Ecce constitui te hodie super Gentes, & super Regna, ut evellas, & destruas, & disperdas, & dissipes, & ædifices, & plantes*, tota cura vestra erit, eandem veritatem, quam agnoscitis, facere, ut & ad notitiam Subditorum vestrorum, vel modo dicto, vel aliis, quos Dominus vobis suggeret, deveniat, & in ea instructi sint, timentes illud Pauli ad Romanos cap. 1., quo aliter facientibus, ita minatur; *Revelatur enim ira Dei de Cœlo super impietatem, & injustitiam hominum eorum, qui veritatem Dei in injustitia detinent: quia, quod notum est Dei, manifestum est in illis*. Et præcipuè illud, quo Apostolus dictum caput concludit: *Qui talia agunt digni sunt morte, & non solum, qui ea faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus*.

196. Quis de vestro zelo dubitare poterit, quin totam curam vestram in eo ponatis, quod Oves vestræ de omnibus iis instructæ sint, quæ possint illas à venenosis pascuis, falsisque doctrinis avertere, & salutaribus veritatis Catholicæ nutriri, ut ita à via perditionis ad veram viam salutis reducantur? cum obliti esse non possitis de eo, quod Ezechieli (*cap. 34.*) Dominus præcepit, ut diceret Pastoribus: *Dices Pastoribus: Hæc dicit Dominus Deus. Væ Pastoribus, qui pascebant semetipsos: nonne Greges à Pastoribus pascuntur? Lac comedebatis, & lanis operiebamini, quod crassum erat occidebatis, Gregem autem meum non pascebatis: Quod infirmum fuit, non consolidastis, & quod ægrotum, non sanastis, quod confractum est non alligastis, quod abjectum est, non reduxistis; & quod perierat, non quæsistis, & dispersæ sunt Oves meæ, eo quod non esset Pastor, & factæ sunt in devorationem omnium Bestiarum Agri, & dispersæ sunt. Erraverunt Greges mei in cunctis montibus*. Quis poterit dubitare, quin hoc salutare Dei monitum præsens semper habebitis? Quod si inter vos quis sit, qui de hoc tam salutari monito sit oblitus, timere merito debet illud, quod per eundem Prophetam eodem capite Dominus minatur, dum ait: *Propterea Pastores au-*

dite verbum Domini. Vivo ego, dicit Dominus Deus, quia pro eo quod facti sunt Greges mei in rapinam, & Oves meæ in devorationem omnium bestiarum Agri, eo quod non esset Pastor. Neque enim quæsierunt Pastores mei Gregem meum, sed pascebant Pastores semetipsos, & Gregem meum non pascebant: Propterea Pastores audite verbum Domini: Hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego ipse super Pastores, requiram Gregem meum de manu eorum, & cessare faciam eos, ut ultra non pascant Gregem, nec pascant amplius Pastores semetipsos, & liberabo Gregem meum de ore eorum, & non erit ultra eis in escam. Sufficiat pro vobis. Transeo jam ad specialiter alloquendos Illustrissimos Dominos Patriarchas.

§. XIV.

Allocutio alia ad Illustrissimos, & Reverendissimos Dominos præfatarum Nationum Patriarchas.

197. HUc usque Illustrissimi, ac Reverendissimi Domini, præcedens mea allocutio directa ad Illustrissimos Episcopos (quos suppono de hac demonstrata Catholica veritate plenè convictos) pro eo quod concernit suas uniuscujusque Diœceses, eis ministrando id, quod secundum Deum conveniens, & necessarium existimo, ad hoc ut Subditos suos suaviter attrahere possint ad agnitionem, confessionemque hujus Catholicæ veritatis. Sed cum hæc omnia ad hoc tendant, ut Patriarchatus vestri, vestræque omnes Ecclesiæ ad unionem redeant cum Ecclesia Catholica Romana, in qua solum est salus, atque ita tot animæ vobis, & ipsis commissæ non pereant, & ad hunc finem nihil efficacius conducere possit, quam exemplum vestrum: Supponendo potiori titulo, vos etiam de eadem veritate persuasos esse, quemadmodum Episcopos vestros suppono, dubitare non possum, quin hac mea Epistola à vobis lecta non poteritis non agnoscere, & fateri, hanc esse Doctrinam, quam cunctæ vestræ Nationes amplecti, & credere debent, ut cum fide S. Romanæ Ecclesiæ uniformari possint. Et cum ignorare non possitis, quantum ad hunc finem proficere valeat ad praxim reducere media Episcopis vestris à me proposita ad trahendos Subditos suos ad hanc Catholicam confessionem, quis dubitare poterit de vestro zelo, quin eo desiderio, quo affecti eritis de salute tot animarum, quæ non solum Episcopis suis sunt commissæ, sed etiam & vobis tanquam Primatibus inter eos, serio curabitis, ut unanimiter omnes hoc tam debitum munus, tamque proprium sui pastoralis officii sedulò insumant, & ad praxim præfata media reducant.

198. Sed quia accidere potest, quod forsan eorum aliquis etiam cum tot præcedentibus Domini comminationibus segniter procedat, omissusque in hoc agnoscatur, præsens habere debetis, quod ipse Dominus in eodem (*cap. 34. Ezechielis*), ne ex hac Pastorum omissione Oves suæ pereant, ait. *Suscitabo super eos Pastorem unum, qui pascat eas, ipse pascet eas, & ipse erit eis in Pastorem.* In quibus verbis considerare debetis, unumquemque vestrum, respectu Nationis sibi commissæ esse velut hunc unum Pastorem à Domino suscitatum, & in ea positum, qui tanquam primarius, & quasi unicus Pastor, supplere has omissiones, si quæ sint, debeat. Ad hoc enim positi estis, tanquam Patriarchæ, & Primates vestrarum Nationum, habetisque primum locum, & authoritatem inter Archiepiscopos, & Episcopos omnes.

199. Sed nec hoc solo, Illustrissimi Domini, contenti esse debetis, ad majora enim vestra obligatio se extendit. Nam cum hæc confessio vestrorum Nationalium ad id tendat, idque respicere debeat, ut cum suis Episcopis in una Fide conformes, omnes uniri valeant cum Ecclesia Catholica Romana,

mana, quæ eandem Fidem, quam hucuſque perſuaſi, tenet, & credit, opus eſt, ut vos, tanquam Primates Nationum veſtrarum, primi ſitis ad hanc confeſſionem faciendam, ut ita hoc exemplum ſequendo Epiſcopi veſtri, ac Nationes, quæ ſub eorum, & veſtrorum gubernio, & cura militant, eandem fidem à ſuis Paſtoribus amplexam, & confeſſam ſequentes, ad hanc unionem diſponi valeant. Enim vero ſi vos primi non ſitis, ut veſtrum exemplum Epiſcopi Vobis ſubjecti ſequantur, ſegniter omnes procedent, expectando veſtigia veſtra ſequi. Inſuper cum hæc confeſſio neceſſaria ad hanc veſtrarum Eccleſiarum unionem cum Eccleſia Catholica Romana in ſtatu præſenti ſeparationis, non ſufficiat, niſi nota Romano Pontifici fiat per veſtram in ſcriptis Fidei ſolitam profeſſionem; benè agnoſcetis, quantum vos premere debeat neceſſitas hanc neceſſariam diligentiam non ſolum eam non differendi, ſed veſtro exemplo, & ſollicitudine curandi, ut per Epiſcopos omnes veſtros hæ Fidei confeſſiones Romano Pontifici etiam mittantur, & quod veræ, & ſinceræ ſint, aliter nihil proficient ad ſalutem animarum veſtrarum, nec ad veram unionem cum Eccleſia Catholica Romana, in qua ſolum eſt hæc ſalus, quam pro vobis, & Subditis veſtris ſeriò deſiderare debetis.

200. Et cum ex disjunctione harum veſtrarum Eccleſiarum per tot ſecula argui poſſit, quod de hac veritate Catholica, quod extra Eccleſiam Romanam non eſt ſalus, nec ullus extra eam conſequi vitam æternam poteſt, perſuaſi non eſtis, quandoquidem credi non poteſt, quod tanta ſecuritate veſtram æternam ſalutem deſiderando, extra Eccleſiam Romanam vivere poſſetis; operæ pretium exiſtimo hanc Catholicam veritatem vobis etiam demonſtrare, ut ſubditos omnes veſtros eam docere poſſitis. Scitis enim, Illuſtriſſimi Domini, Eccleſiam eſſe unam, dum cum primo Conſtantinopolitano Concilio *in Symbolo* confitemini: *Credo unam Sanctam Catholicam, & Apoſtolicam Eccleſiam*. Scitis etiam hujus Eccleſiæ inviſibile caput eſſe Chriſtum, viſibile verò Petrum ejus Vicarium, ſuper quem tanquam ſuper firmam petram edificavit Eccleſiam ſuam, dum (*Matthæi 16.*) illi dixit: *Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam, & Portæ Inferi non prævalebunt adverſus eam*. Nec ignoratis, quod ipſi Petro, & in eo ejus in Cathedra Succeſſoribus commiſit paſcere Oves ſuas, ut [*per Joannem 21.*] *Paſce oves meas*. Sicut & quod eidem, & in eo Succeſſoribus etiam ſuis ſpecialiter tradidit claves Regni Cœlorum: [*Matth. 16.*] dicens: *Tibi dabo claves Regni Cœlorum, & quodcumque ligaveris ſuper Terram erit ligatum & in Cœlis, & quodcumque ſolveris ſuper Terram, erit ſolutum & in Cœlis*. Et quod [*Lucæ 22.*] eidem Petro promiſit in fide ſemper permanſurum, illi committens, ut in ea confirmaret Fratres ſuos Apoſtolos, dicens: *Ego rogabo pro te Petre, ut non deficiat fides tua; Et tu aliquando converſus confirma Fratres tuos*. Et tandem ſcitis, Romanum Pontificem Succeſſorem eſſe Petri, & in eo illi ſpecialiter fuiſſe commiſſam Supremam clavium authoritatem ligandi, atque ſolvendi, curamque, & obligationem Oves omnes, quæ in Ovili hujus unicæ Eccleſiæ ſunt, paſcendi, & Fratres ſuos Epiſcopos in fide confirmandi.

201. Si enim ex Evangelio hæc omnia ſcitis, confiteri debetis, quòd una eſt Chriſti Eccleſia, & ipſe Chriſtus ejus inviſibile caput, viſibileque Romanus Pontifex, & quod ipſe Dominus hanc ſuam unicam Eccleſiam plantavit, fundavit, & inſtituit, ut qui in ea ſub hoc viſibili capite viverent, ſalvi fieri poſſent; & quòd ad hunc finem unum ſolum Baptiſma inſtituit, unamque ſolam docuit Fidem, quam omnes per Baptiſmum regene-

rati amplecti, ac credere tenerentur, & in ea vivere deberent. Si hæc omnia ex Evangelio scitis: dicite mihi, Dilectissimi, quæ salus esse poterit in iis, qui in hanc unicam Ecclesiam per Sanctum Baptismum intrarunt, & nec sub hoc uno ejus capite vivere volunt, nec hanc unicam Fidem, quam ipsa docet, amplecti? Nam qui aliam Fidem tenent ab ea, quæ ab unica Ecclesia traditur, & non vivunt sub hoc uno solo capite Romano Pontifice ab ipso Christo Domino in ea posito, extra Ecclesiam Catholicam à Christo Domino institutam certò vivunt & sunt, & sic non erit illis salus, quæ sola invenitur in hac unica, quam Christus Dominus ædificavit, & instituit, & depositum Fidei in ea posuit.

202. Ex quo videtis, Illustrissimi Domini, quomodo salus esse non possit in vestris Ecclesiis, nisi contra Christi institutionem tot Ecclesias fingere valeatis, in quibus salus sit, quantas fingunt, qui vivere in alia Fide ab ea, quam Romana docet, volunt. Itaque si hoc sustineri posset, una esset Ecclesia eorum, qui Doctrinam Nestorii sequuntur, alia illorum, qui Doctrinam Apollinaris, alia illorum, qui doctrinam Græcorum processionem Spiritus Sancti à Patre, & Filio negantium, aliæ vestræ, quæ contra Fidem Romanæ Ecclesiæ unam tantùm Naturam in Christo admittunt, & unam solam voluntatem, & unam solam operationem, & sic multæ erunt Ecclesiæ à Romana separatæ, & distinctæ, multaque eorum capita, & in iis omnibus erit salus, & sic non erit *una Sancta Catholica, & Apostolica Ecclesia*, quam Christus instituit, ut qui in ea sub suo unico capite ejus Vicario vivant, salvi fiant. Et cum certum sit, quod nec de Nestoriana, nec de aliis expositis, vos confitebimini, quod in iis sit salus, cum tanquam Hæreticos eam sequentes habeatis, inde agnoscetis, quid de vestra sentire debeatis.

203. Scio, Illustrissimi Domini, non deesse in Nationibus vestris, qui ausi sint dicere, in ipsis esse veram unicam Ecclesiam, eo quod Romana Ecclesia cum Concilio Chalcedonensi facta fuerit Nestoriana, duas Naturas in Christo admittendo. Sed credo quod ad aures vestras tanta temeritas non pervenerit; quandoquidem indubiè ora eorum fuissent à Vobis obstrusa, & talia dicentes acriter puniti, qui hanc gravissimam notam Nationi suæ impingere audent, & hæresim renovare Parmeniani, qui Donatistarum hæresim sequens ausus fuit hoc dicere, quod ex Donatistis, nullus alius excogitare ausus fuerat. Contra quem scripsit Sanctus Optatus Episcopus Milevitanus in Africa (qui dimidio IV. Seculo floruit) & ex septem libris, quos scripsit contra Donatistas, (*lib. 2. in principio*) præfatum Parmenianum impugnans de hoc suo delirio eum sic irridet: *Hanc unam Columbam, & dilectam Sponsam suam Christus appellat. Hæc apud Hæreticos, & Schismaticos esse non potest. Restat ut uno loco sit. Eam Tu Frater Parmeniane apud vos solos esse dixisti.... Ergo, ut in particula Africæ, in angulo parvæ Regionis apud vos esse possit, apud nos in alia parte Africæ non erit, in Hispaniis, in Italia, in Gallia, ubi vos non estis, non erit. Si apud vos tantummodo esse vultis, in tribus Pannoniis, in Dacia, Mysia, Thracia, Achaja, Macedonia, & in tota Græcia, ubi vos non estis, non erit. Ut apud vos esse possit, in Ponto, Galatia, Cappadocia, Pamphylia, Phrygia. Cilicia, & in tribus Syriis, & in duabus Armeniis, & in tota Ægypto, & in Mesopotamia, ubi vos non estis, non erit. Et per tot innumerabiles Insulas, & cæteras Provincias, quæ numerari vix possunt, ubi vos non estis, non erit. Ubi ergo proprietas Catholici nominis? Cum inde dicta sit Catholica, quòd sit rationabilis, & ubique diffusa. Nam si sic pro voluntate vestra in angustum coarctatis Ecclesiam, si universas subducitis Gentes, ubi erit, quod Filius Dei meruit?*

ruit? Ubi erit quòd libenter ei largitus est Pater in secundo Psalmo dicens: Dabo tibi Gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos Terræ? . . . In Psalmo 71. de ipso Salvatore sic scriptum est: Dominabitur à Mari, usque ad Mare, & à Fluminibus, usque ad terminos Orbis Terræ. Et hodie, si scriberet, dicere etiam posset: *Si in vestro angulo tota est Ecclesia, in America non erit, quæ dimidia pars est totius Orbis.* Certè hoc est delirium, quod non ratione, sed despectu est rejiciendum.

204. Cum hæc ita sint, Illustrissimi Domini, quid retrahere vos, & Episcopos vestros potest, ut hanc Fidei veram, & sinceram confessionem Romano Pontifici citò non mittatis, si salutem animarum vestrarum, & earum, quæ curæ vestræ commissæ sunt, serio concupiscitis? Estne quia creditis, quod Ecclesia Romana errat, confitendo duas Naturas in Christo, duas voluntates, & duas operationes, & quod Nationes vestræ veritatem sequuntur, unam tantum Naturam, unam voluntatem, & unam solam operationem in eo admittendo, quia ita contra torrentem SS. Patrum docuerunt Eutyches, & Sergius, quos Vestræ Nationes sequi voluerunt? Certè hoc idem suos defendendo errores Nestoriani dicunt, & omnes qui separati ab Ecclesia sunt, ut suos errores defendant, buccinando suam doctrinam esse veram, falsamque, quam Ecclesia Romana docet. Porrò quod hucusque à retroactis sæculis ita Vestræ Nationes crediderant, sicut Nestorius, Eutyches, & Sergius, & qui eos sequebantur, credebant, non dubito. Sed hodie, quod confitemini, Nestorianos, & reliquos omnes enormissimè in hoc errare, & quòd doctrina, quam sequuntur, est hæretica, & quod omnes illi extra viam salutis vivunt, & ad tartara sine dubio descendent: & insuper persuasi estis auctoritate, & ratione de veritate Doctrinæ Ecclesiæ, certè de hoc jam instructi differre hanc vestram confessionem non potestis, & eam ad Romanum Pontificem, ut extra viam salutis non sitis, & ad tartara descendatis, mittere quanto citius debetis, ut sic uniri cum Ecclesia Catholica Romana possitis. . . . .

105. Et quia his omnibus non obstantibus forsan aliquis invenietur, qui dubitare adhuc velit, & ab hac confessione, & ejus ad Romanum Pontificem transmissione vel retrahi, vel eam differre, necessarium existimo, authoritate etiam SS. Patrum comprobare hanc necessitatem se uniendi cum Ecclesia Catholica Romana, ejusque Capite Romano Pontifice loco Christi Domini in ea posito, ut salvi fieri possint, & persuasi, & convicti maneant, & quod Ecclesia Romana sicut & Romanus Pontifex in rebus Fidei errare non potest. Audiant illi, siqui sint, Sanctum Cyprianum, qui *libro de unitate Ecclesiæ* parum longè ab initio hæc habet: *Primatus Petro datur, ut una Christi Ecclesia, & Cathedra una monstretur . . . . Quam unam Ecclesiam, etiam in Cantico Canticorum Spiritus Sanctus ex persona Domini designat, & dicit: Una est Columba mea, perfecta mea, una est Matri suæ electa Genitrici suæ. Hanc Ecclesiæ unitatem, qui non tenet, tenere se Fidem credit? Qui Ecclesiæ renititur, & resistit, qui Cathedram Petri, super quam fundata est Ecclesia, deserit, in Ecclesia se esse confidit? Quando & Beatus Apostolus Paulus hoc idem doceat, & Sacramentum unionis ostendat, dicens: Unum corpus, & unus Spiritus, una spes vocationis vestræ, unus Dominus, una Fides, unum Baptisma, unus Deus. Quam unitatem firmiter tenere, & vindicare debemus maximè Episcopi, qui in Ecclesia præsidemus, ut Episcopatum quoque ipsum, unum atque indivisum probemus.*

206. Et *Epistola* 75. valdè longè à fine, ait: *Christus Dominus noster unam esse manifestans Sponsam suam, & unitatis ejus Sacramentum declarans, ait: Qui non*

est mecum, adversum me est, & qui non mecum colligit, spargit. Si enim nobiscum est Christus, Hæretici autem non sunt nobiscum, pro certo adversus Christum sunt Hæretici: & si nos colligimus cum Christo, non colligunt autem nobiscum Hæretici: Et infra: *Cum verò & Arca Noe nihil aliud fuerit, quam Sacramentum Ecclesiæ Christi, quæ tunc omnibus foris pereuntibus eos solos servavit, qui intra Arcam fuerunt, manifestè instruimur ad Ecclesiæ unitatem perspiciendam, quemadmodum & Apostolus Petrus posuit, dicens sic, & vos similiter salvos faciet Baptisma; ostendens, quoniam quomodo qui cum Noe in Arca non fuerunt, non tantum purgati, & salvati per aquam non sunt, sed statim Diluvio illo perierunt, sic & nunc, quicumque in Ecclesia cum Christo non sunt, foris peribunt, nisi ad unicum, & salutare Ecclesiæ lavacrum per pœnitentiam convertantur. Qualis verò error sit, & quanta cæcitas ejus, qui remissionem Peccatorum dicit apud Synagogas hæreticorum dari posse, & non permanet in fundamento unius Ecclesiæ, quæ semel à Christo super Petram solidata est; hinc intelligi potest, quod soli Petro Christus dixerit: Quæcumque ligaveris super Terram, erunt ligata & in Cœlis, & quæcumque solveris super Terram erunt soluta & in Cœlis.* Ubi clarè habemus ex Sancto Doctore, quod cum Ecclesia una sit, in qua est depositum Fidei, & animarum salus, qui in ea cum Romano Pontifice suo capite non sit, peribit, sicut perierunt, qui in Arca Noe Ecclesiam repræsentante non fuerunt.

207. Audiant etiam D. Hieronymum *Epistola 57. ad Damasum Pontificem*, qui illi ait: *Ego Beatitudini tuæ, idest Cathedræ Petri communione consocior, super illam Petram ædificatam Ecclesiam scio, quicumque extra hanc Domum Agnum comederit profanus est, si quis in Arca Noe non fuerit, peribit, regnante Diluvio. Quicumque tecum non colligit, dispergit, hoc est, qui Christi non est, est Antichristi*. Ubi videtis, quod Sanctus Doctor de eodem nos docet, quod peribit, qui cum Cathedra Petri, & Romano Pontifice unionem non habet, sicut perierunt, qui in Arca cum Noe non intrarunt.

208. Audiant S. Athanasium Patriarcham Alexandrinum, & videbunt quanti habuerit authoritatem Romani Pontificis, & quomodo agnoverit nutriri omnes debere lacte Fidei, quæ ab eo edocetur. In Epistola enim, quam in Synodo Alexandrina cum suis Episcopis scripsit S. Felici Papæ, quæ extat [*tom.1. Conciliorum inter Epistolas hujus Romani Pontificis*] hæc propè initium habet: *Ideo Pater Beatissime, quia semper Antecessores nostri, & nos à vestra Apostolica Sancta Sede auxilium hausimus . . . ad eam quoque quasi ad matrem recurrimus, ut ejus uberibus nutriamur, quoniam non potest Mater oblivisci Infantem suum*: Et infra: *Dominus Jesus Christus, vestram Apostolicam constituit Sedem. IPSE EST ENIM SACER VERTEX, IN QUO OMNES ECCLESIÆ VERTUNTUR, SUSTENTANTUR, RELEVANTUR; Et sicut in Christo Christiani, ita & in petra, idest Petro, renovantur Ecclesiæ. Tu es enim (sicut Divinum veraciter testatur eloquium) Petrus, & super fundamentum tuum Ecclesiæ Columnæ, idest Episcopi, qui Ecclesiam sustinere, & propriis humeris portare debent, tibi sunt confirmatæ, tibique claves Regni Cœlorum commisit, atque ligare, & solvere potestativè, quæ in Terra, & quæ in Cœlis sunt, promulgavit. Tu profanarum hæresum, & imperitorum, atque omnium infestantium Depositor, UT PRINCEPS, ET DOCTOR, CAPUTQUE OMNIUM ORTHODOXÆ DOCTRINÆ, ET IMMACULATÆ FIDEI EXISTIS.*

209. Et in fine Epistolæ: *Ideoque exoramus, ut minimè despiciatis humilitatis nostræ, & omnium Orientalium Orthodoxorum Sacerdotum, & Populorum afflictiones, & deprecationes cum lacrymis oblatas, sed sicut luminaria universo Mundo verbum vitæ retinentes introductas extinguite tenebras nefandissimorum Insidiatorum*

torum temporibus etiam nostris procaciter germinatas, quatenus funditus extincta hujusmodi caligine Lucifer nobis respondeat per vos Sanctissime Pater, & Dogmatica definitio ubique omnes lætificans, quam gloriosi Ecclesiæ Sancti Patres per propria dogmata in æternæ vitæ firmam hæreditatem prædicasse noscuntur. Ubi Sanctus Patriarcha, non solum de hoc nos erudit, quod Lac veræ doctrinæ sumendum est de uberibus S. Ecclesiæ, in qua omnes Ecclesiæ fundantur, sed etiam de Romano Pontifice, in quo tanquam Supremo Doctore, Capite, & vertice, in quo omnes Ecclesiæ vertuntur, & sustentantur, est Orthodoxa, & immaculata Fides, concludens ab eodem Romano Pontifice petendo idipsum, quod hodie si viveret, pro omnibus istis Nationibus peteret, ut in Cœlo sine dubio petet, nimirum, quod funditus extinguat tenebras errorum Orientalium Nationum, & eas illuminet Doctrina, & Dogmatibus, quibus Ecclesiæ Patres eam instruxerunt pro vita æterna consequenda.

210. Audiant etiam S. Cyrillum Alexandrinum in Epistola, quam scripsit S. Cœlestino Pontifici (*quæ extat in Concilio Ephesino part. 1. cap. 14.*) & videbunt quomodo suo exemplo nos doceat, quod vera doctrina à S. Romana Ecclesia est expetenda, & à Romano Pontifice exquirendum, quid in materiis Fidei recipere, quidque amplecti debeamus. In dicta enim Epistola certum facit Romanum Pontificem de erroribus, quos Constantinopoli Nestorius ejus Patriarcha disseminabat, & inter alia hæc illi exponit: *Se omnibus sapientiorem existimat: Se solum Divinæ Scripturæ Scopum attigisse autumat, se solum Christi mysterium cognovisse somniat.... Verum fastu tumens, insidiisque, ac Sedis potentia fretus, effecturum se arbitratur, ut nos ipsi, & reliqui omnes suæ sententiæ subscribamus. Ecquid igitur faciemus? Cum neque illum, ut resipiscat, neque ut ab ejusmodi concionibus desistat inducere queamus? Populus Constantinopolitanus assiduè magis corrumpitur, magnaque animi ægritudine laborans, Catholicorum Doctorum præsidium quotidiè expectat avidè.*

211. Cùm ergò hæc illi exposuisset, & tam clarè ex Evangelio Nestorii doctrinam, quam acriter impugnabat, hæreticam esse benè cognovisset, tamen ausus non est, nisi oraculo audito Romani Pontificis ipsum Nestorium deserere, nec præcipere Episcopis suis, ne cum illo communicarent. Itaque hæc illi ait: *At quamvis res ita se habeat, non prius tamen illius communionem confidenter deserere ausi fuimus, quàm hæc ipsa pietati tuæ indicaremus. Digneris proinde quid hic sentias declarare, quo liquido nobis constet communicare ne nos cum illo oporteat, an verò liberè eidem denunciare, neminem cum eo communicare, qui ejusmodi erroneam doctrinam fovet, ac prædicat. Porrò tuæ integritatis mens, & super hac re sententia non modò piissimis, Deoque devotissimis Macedoniæ Episcopis, sed totius quoque Orientis Antistitibus perspicuè per literas exponi debet. Nam cupientibus illis, ansam dabimus, ut omnes uno animo in una sententia persistant, rectæque Fidei, quæ jam impugnatur, opem ferant.* Ubi etiam Sanctus Doctor, agnovit, & suo exemplo Universum Orientem docuit dependentiam, quam à S. Sede in materiis Fidei habere debent, ut cum sensu Romani Pontificis concorditer procedere valeant, quando etiamsi clarè agnovisset hæreticam esse doctrinam Nestorii, tamen ab illius consortio recedere non audebat, nisi primò ejus oraculum audirent.

212. Et non omittam exponere etiam aliud testimonium ejusdem S. Cyrilli ex libro Thesauri frequenter à Doctoribus laudato, ubi hæc habet: *Debemus nos, qui membra sumus, Capiti nostro Pontifici Romano, & Apostolicæ Fidei adhærere, ad nos pertinet, inde quid credendum, quid opinandum, quid tenendum sit quærere*: Quod testimonium valde concordat cùm præcedenti.

213. Audiant Sanctum Augustinum, qui Epistola 157. hæc habet: *In verbis Apo-*

Apostolicæ Sedis tam antiqua, atque fundata, certa, & clara est Catholica Fides, ut nefas sit dubitare Christianis. Et etiam [*libro 2. Contra Pelagium, & Cœlestium cap. 7.*] ubi ait: *Cœlestius Beati Papæ Innocentii literis non est ausus obsistere, imo se omnia, quæ illa Sedes damnaret, damnaturum esse promisit.* Et [*libro 2. cap. 3. contra duas Epistolas Pelagianorum*] *Literis Beatæ memoriæ PP. Innocentii de hac re dubitatio tota sublata est*: Et [*Epistola 190. ad Optatum Episcopum Milevitanum num. 22.*] *Pelagius, & Cœlestius adjutorio Salvatoris, qui suam tuetur Ecclesiam, etiam à duobus venerabilibus Antistitibus Apostolicę Sedis Papa Innocentio, & Papa Zosimo, nisi correcti egerint pœnitentiam, toto Christiano Orbe damnati sunt.*

214. Et S. Prosper (*contra Collatorem cap. 41.*) de iisdem Pelagianis loquens ait. *Tunc istorum machinæ fractæ sunt, tunc in superbiæ sociis corruerunt, quando Beatæ memoriæ Innocentius nefandi erroris capita Apostolico mucrone percussit: Africanorum Conciliorum decretis Beatæ recordat. PP. Zosimus sententiæ suæ robur adnexuit, & ad impiorum detruncationem gladio Petri dexteras omnium armavit Antistitum.*

215. Audiant Sanctum Optatum Milevitanum, qui (*lib. 2.*) contra Donatistas, & contra Parmenianum agens, hæc habet: *Negari non potest, scire te in Urbe Romæ Petro primo Cathedram Episcopalem esse collatam, in qua una Cathedra unitas ab omnibus servaretur, ut jam Schismaticus, & Peccator sit, qui contra singularem Cathedram alteram collocaret.*

216. Audiant etiam Theodoretum (*Epistola 116. ad Renatum Romanum Presbyterum, unum ex consiliariis Romani Pontificis*) ubi ait: *Habet enim Sanctissima illa Sedes omnium per Orbem Terrarum Ducatum, & Principatum, multis quidem ex causis, præcipuè verò quod hæretica labe immunis permansit, & nullus, qui contra sentit veritati, in illa unquam sedit, sed Apostolicam gratiam integram, & immaculatam servavit. Quæ enim à Vobis decernuntur, contenti his erimus, & illis acquiescemus, quæcumque illa fuerint, vestro justo judicio confisi.*

217. Audiant Sanctum Fulgentium in libro de Incarnatione Verbi: *Quod Romana, quæ Mundi cacumen est, tenet, & docet Ecclesia, totus cum ea Christianus Orbis nihil hæsitans credit, & ad salutem non dubitat confiteri.*

218. Audiant Joannem Patriarcham Constantinopolitanum (*in Epistola ad Hormisdam Papam*) in qua hæc habet: *Et quia non potest Domini Nostri prætermitti sententia, quæ dicit: Tu es Petrus &c. quæ dicta sunt, rerum probantur effectibus, quia in Sede Apostolica immaculata est semper servata Religio. Unde sicut prædiximus, sequentes in omnibus Apostolicam Sedem, & prædicantes ejus omnia constituta, spero, ut in una communione vobiscum, quam Sedes Apostolica prædicat, esse merear, IN QUA EST INTEGRA, ET VERA CHRISTIANÆ RELIGIONIS SOLIDITAS.*

219. Audiant etiam Constantinum Magnum in Edicto, cujus initium est: *Ea quæ Salvator noster*, quod extat in Codice quatuor Conciliorum generalium editionis Coloniæ 1530. ubi hæc habet: *Pontifex, qui pro tempore ipsius Sacrosanctę Romanę Ecclesię extiterit CELSIOR, ET PRINCEPS CUNCTIS SACERDOTIBUS TOTIUS MUNDI existat & ejus Judicio quoque ad Cultum Dei, vel Fidei Christianorum stabilitatem procurandam fuerint, disponantur, justum quippe est, ut ibi Lex Sancta Caput teneat Principatus, ubi Sanctarum Legum Institutor Salvator noster Beatum Petrum Apostolatus obtinere præcepit Cathedram, ubi & Crucis patibulum sustinens, beatissimum mortis sumpsit poculum, suique Magistri, & Domini Imitator apparuit.*

220. Sed longum esset singillatim referre ea omnia, quæ à Sanctis Patribus, & sapientissimis Doctoribus circa hoc dicta sunt. Non omittam tamen ea brevia elogia, quæ de Romano Pontifice Concilia, & Patres evulgant, referre. Concilium enim Ephesinum, quod vestræ Nationes, Illustrissimi Domini, meritò magni habent (*actione 2.*)

ne 2.) Cælestinum, ut novum Paulum acclamarunt una voce dicentes: *Novo Paulo Cælestino*. In Concil. Lateranen. sub S. Martino I. in Secretario secundo Romanus Pontifex vocatur, *Firmamentum à Deo fixum, & stabile, ac forma lucidissima Fidei divinitus constituta*: à S. Ignatio Martyre in Epistola ad Romanos vocatur, *Præsidens in charitate Christi, habens Legem, Patris nomen*: S. Jo. Chrysostomus homilia 2. in Psalm. 50., & homilia de Petro, & Elia eum vocat, *Basim Fidei immobilem*: Et in Encomio SS. Petri, & Pauli: *Consiliarium necessarium Christianorum*: à S. Athanasio in Epistola ad Felicem Papam, *Firmamentum super quod Columnæ Ecclesiæ confirmatæ sunt*: Et etiam: *Vertex in quo omnes Ecclesiæ vertuntur, & sustentantur*, ac etiam, *Doctor Orthodoxæ Doctrinæ, & immaculatæ Fidei*: à S. Hieronymo Epist. 16. *Portus tutissimus totius Catholicæ communionis*. S. Petrus Chrysologus in sermone 107. eum appellat: *Custodem vitæ; & fidei Christianæ*: à S. Bonifacio vocatur: *Magister universalis Episcoporum*. S. Anselmus lib. de Incarnatione Verbi cap. 1. eum vocat; *Custodem Fidei*. Sanctus Augustinus in Epistola 157. *In verbis Apostolicæ Sedis fundata, certa, & clara est Catholica Fides*. à S. Optato Milevitano lib. 2. contra Donatistas vocatur *Schismaticus, qui contra singularem Cathedram alteram collocaret*. Et Theodorus Studita ad Paschalem lib. 2. Epist. 13. eundem Romanum Pontificem vocat *Facem divinitus lucentem ad Ecclesiæ, quæ sub Cœlo est, illuminationem in Apostolica Sede collucentem*.

221. Ex his omnibus, Illustrissimi Domini, jam videbunt, qui forsan, ut dixi, dubitent hanc fidei confessionem emittere, vel fortè Romano Pontifici tradere, quanta est necessitas eam emittendi, & Romano Pontifici tradendi, ut extra Ecclesiam non maneant, & animas suas in æternum non perdant. Quandoquidem demonstratum hic habent auctoritate tot Patrum, & inter eos SS. Athanasii, & Cyrilli, quos in omnibus sequi frequenter Nationes vestræ proclamant, quod Ecclesia Catholica est una sola, & hæc Romana: quod in ea est depositum Fidei, & in ea est solummodò salus: quod Romanus Pontifex uti Petri Successor, & Christi Vicarius est ejusdem Fidei Custos: quod qui cum eo non est, extra Ecclesiam est: quod qui aliam Cathedram à Romana disjunctam adstruere velit, Schismaticus est: quod puritas Fidei in hac Cathedra conservata semper fuit, & erit, quod in ea nullus error unquam fuit, nec erit: quod illæ hæreses, quæ hodie in Ecclesia extinctæ jam sunt, per solam damnationem Romanorum Pontificum fuerunt extinctæ: quod in toto Orbe Christiano uti hæreticæ omnes Doctrinæ fuerunt habitæ, ex eo solum, quod Romani Pontifices uti tales eas damnarunt: quod Hæresiarcha Cœlestius non obsistere ausus est Innocentio eum, ejusque errores damnanti, quodque ei obedire in omnibus promisit.

222. Et insuper ignorare non possunt, quod tanquam authentica in Ecclesia Concilia etiam Generalia non habebantur nisi in dicta Auctoritate, & placito Romanorum Pontificum fuissent, vel saltem confirmarentur; ut notum illis est ex tribus, quæ unice recepta habent (ac si reliqua Generalia Concilia æque non fuissent in Spiritu Sancto congregata, & ab eodem Sancto Spiritu Patribus suggesta quæ circa Fidem definierunt, & declararunt). In quibus tribus Conciliis, quæ amplexi sunt ita accidit quod omnia approbata fuerunt à Romanis Pontificibus, ut tanquam veritates de fide haberi possent, quæ definita in ipsis fuerunt. Et tanti habebatur, & habetur, sicut perpetuo habita fuit auctoritas, nedum horum trium Conciliorum, sed etiam Chalcedonensis ex quo à Romanis Pontificibus unumquodque eorum approbatum fuit, quod S. Gregorius Papa de omnibus quatuor Conciliis quæ unicè usque ad suum tempus fuerant celebrata (*Epistola,*

ſtola, quæ inter eas quæ libro 10. *continentur eſt* 23.) ad quatuor Orientis Patriarchas Conſtantinopolitanum, Alexandrinum, Antiochenum, & Jeroſolymitanum hæc de præfatorum quatuor Conciliorum auctoritate illis declaravit, de eaque certos facere, & monere voluit: *Præterea, quia corde creditur ad juſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem, ſicut Sancti Evangelii quatuor libros, ſic quatuor Concilia ſuſcipere, & venerari me fateor. Nicænum ſcilicet, in quo perverſum Arii Dogma deſtruitur. Conſtantinopolitanum quoque, in quo Eunomii, & Macedonii error convincitur. Epheſinum etiam primum, in quo Neſtorii impietas judicatur. Chalcedonenſe vero, in quo Eutychetis, Dioſcorique pravitas reprobatur, tota devotione complector, integerrima approbatione cuſtodio, quia in his, velut in quadrato lapide, Sanctæ Fidei ſtructura conſurgit.*

223. Ex quo benè agnoſcent, quanta ſit auctoritas Romani Pontificis, quando ut præfata Concilia Generalia, quæ tanquam quatuor Evangelia, haberi in Eccleſia debent, uti authentica haberentur, & nos, ad res fidei uſque tunc clarè non agnitas, & ab ipſo definitas credendas, obligarent, opus erat, ut ſemper eſt, & erit, quod à Romanis Pontificibus fuerint approbata; agnoſcente Eccleſia quod à Chriſto Domino in Evangelio tanquam Petri Succeſſori data hæc circa res fidei, ſicut & morum ſuprema auctoritas. (Et ex hoc omnes veſtri ultra ſupra jam expoſita amplius & amplius agnoſcent quanta eſt Auctoritas Concilii Chalcedonenſis, quod ipſi nedum non admittunt, verum etiam deſpiciunt, quando idem eſt illud non admittere, & deſpicere, ac S. Evangelium contemnere, & reſpuere). Cum hæc omnia hucuſque expoſita ita nota ſint, ut ignorari, nec contradici ab ullo Chriſtiano valeant, ex hoc (Dilectiſſimi) qui ex Epiſcopis vobis ſubjectis forſan, ut dixi, renuant hanc Confeſſionem emittere, & Romano Pontifici eam tradere, videbunt, quod nullam excuſationem coram Deo in die tremendi Judicii habere poterunt ut ab æterna damnatione liberari queant. Pro quibus valde proficiet ſi illis exponatis exemplum Patriarchæ Conſtantinopolitani Joſephi, qui in Concilio Florentino morti proximus, hoc tremendum Judicium timens hanc authenticam Confeſſionem coram Eccleſia Subditis Nationalibus ſuis mittendam reliquit, quæ *in ultima ejuſdem S. Concilii ſeſſione ad finem eſt inſerta*, & ſic ſe habet: *Joſeph miſeratione Divina Conſtantinopolis, & novæ Romæ Archiepiſcopus, ac Œcumenicus Patriarcha, quoniam ad extremum vitæ meæ perveni, idcirco pro meo munere dilectis Filiis benignitate Dei meam ſententiam his literis palam facio. Nam quæ Domini Jeſu Chriſti Catholica, & Apoſtolica Eccleſia Romæ veteris ſentiat, ac celebret, omnia me quoque ſentire, credereque profiteor, ac ipſis plurimum acquieſco. Beatiſſimum autem Patrum Patrem, ac Summum Pontificem, Romæque veteris Papam Domini noſtri Jeſu Chriſti Vicarium eſſe concedere &c. Datum Florentiæ die* 8. *Menſis Junii* 1439.

224. Manet, Illuſtriſsimi Domini, nedum ad evidentiam demonſtrata tum auctoritate, tum ratione veritas duarum Naturarum in Chriſto, duarumque voluntatum, & operationum, quas Nationes veſtræ cum Catholica Eccleſia Romana credere, & fateri debent, ut ſalvi fiant, ſed etiam ſatisfactum iis omnibus, quæ retrahere, vel retardare Epiſcopos veſtros forſan poſſent, quin quanto citius exemplo veſtro (quod ſuppono) hanc Fidei proteſtationem emittant, & Romano Pontifici tranſmittant, qua uniti cum Eccleſia Romana manere poſsint. Unde nullæ aliæ difficultates reſtare poſſunt, neque excogitari, niſi eæ, quas Dæmon Pater mendacii illis, & vobis ſuggeret, videns quod tam copioſa Regna, quæ poſſeſſa à tot ſæculis habebat, hac via perdet. Precor vos, ut nullis ex difficultatibus, quas vobis proponet, aures præbeatis. Suggeret enim forſan,

ſan, quod veſtra auctoritas, & juriſdictio Archiepiſcoporum, Epiſcoporumque Veſtrorum minuetur, quod ritus veſtri, & vetus diſciplina etiam mutari poterunt. Sed tanquam diabolicas ſuggeſtiones habere eas debetis. Tam longe enim hoc ſe habet ab intentione Romanæ Eccleſiæ, ut toto cœlo diſtet ab ejus perpetua praxi. Non enim obſervatis, quod in nihilo minuta eſt auctoritas; & juriſdictio eorum Metropolitanorum, ac Epiſcoporum Orientalium, qui cum Eccleſia Romana uniti ſunt, ſicut nec Ritus, aut Diſciplina, quæ ab eis, eorumque Nationibus obſervabatur? Certi ergo eſſe debetis, quod Romani Pontifices nedum in nihilo auctoritatem, juriſdictionem, Ritus, & Diſciplinam veſtram mutabunt, nec in aliquo minuent, ſed potius etiam auctoritatem, & juriſdictionem veſtram augere, & in omnibus vos, & Epiſcopos veſtros omnes, Rituſque, & Diſciplinam conſervare ſemper curabunt, & adeo certi de hoc eſſe debetis, quod in Sacra Congregatione de Propaganda Fide tantum curatur de conſervanda antiqua Diſciplina Eccleſiarum Orientalium, quæ unitæ cum Romana ſunt, ac de conſervanda Eccleſiæ Latinæ diſciplina, de quo, ut hoc ſcribam, bene informatus ſum.

225. Cum de his omnibus certi eſſe debeatis, in viſceribus Chriſti, vos precor; ut ad omnia ſeriò reflectendo, & importantiam materiæ, de qua agitur, ex qua æterna veſtra ſalus pendet, & tot animarum curæ veſtræ commiſſarum, de quibus Dominus in Judicio rationem à Vobis petet, primos eſſe curetis in hac confeſſione emittenda, & Romano Pontifici, tanquam Petri Succeſſori, & Chriſti Vicario tranſmittenda, ut exemplo Veſtro Archiepiſcopi, & Epiſcopi, qui Veſtro Patriarchatui ſunt ſubjecti, veſtigia veſtra ſequentes, id ipſum exequantur. Eos etiam exhortando, ut nemo ſegniter, ac remiſsè in re tanti momenti procedat. Sicut in ordinando, & ad praxim reducendo ea opportuniſſima media, quæ propoſita §. XIII. manent, ut ſenſim ſine ſenſu Subditos ſuos ad eamdem Fidem amplectendam attrahant, conſiderando ea omnia, quæ pro eorum ſalute Chriſtus Dominus paſſus fuit, ſanguinem, & animam ſuam in Crucis patibulo Patri offerendo.

226. Benè agnoſcetis, Illuſtriſſimi Domini, quod unuſquiſque veſtrum in ſuo Patriarchatu, Divino adjutorio potentiſſimus eſt ad aſſequendum, quod omnes, qui vobis ſubjecti ſunt ad agnitionem hujus Catholicæ veritatis deveniant, & ab omnibus veſtris Nationalibus error, in quo vivunt, eliminetur, & penitus extinguatur. Pro quo in memoriam revocate, quod unus ſolus Patriarcha Alexandrinus S. Cyrillus Dei, & Romanæ Sedis adjutorio ſufficiens zelo ſuo fuit, ut Eccleſias omnes veſtras, & alias quamplurimas ex Orientalibus, vel ab erroribus Neſtorii liberaret, vel hac peſte jam infectas purgaret. Quod exemplum tanquam ſingulare memoratur a S. Proſpero (*contra Collatorem cap.* 41.) dum ait: *Orientales Eccleſiæ gemina peſte purgatæ ſunt, quando Cyrillo Alexandrinæ Vrbis Antiſtiti glorioſiſſimo Fidei Catholicæ Defenſori ad excæcandam Neſtorianam impietatem Apoſtolico auxiliatus eſt gladio*: Cœleſtini Papæ nimirum. Agite ergo, Illuſtriſſimi Domini dilectiſſimique tam Patriarchæ, quam Archiepiſcopi, & Epiſcopi (cum omnibus jam loquor) agite iterum repeto, moras rumpite, hoc exemplum imitamini, Domini zelo gloriæ Dei armamini, bellum Inferno indicite, ab ejus immani poteſtate tot animas quas oppreſſas habet, eripite: Vobis commiſſæ ſunt, ſanguine Chriſti redemptæ, de iis in judicio rationem Deo dare debetis: eas ergo illuminate, denſas tenebras, quibus obſcurati vivunt, ab illis abjicite, eas penitus fugate: De earum æterna ſalute agitur, de ſempiterna gloria,

quam

quam pro ipsis moriendo illis Christus Dominus præparavit, perdenda, vel feliciter consequenda tractatur. De hoc etiam agitur, ut Redemptorem suum, qui tanti eas æstimavit, ut vitam suam pro ipsis dederit, non ita offendant, ut in illo duas Naturas, duas voluntates, duasque operationes negent, sine quibus redimere eas non potuisset. Hoc est opus à vobis tractandum & serio peragendum, pro honore Crucifixi, ac pro illi restituendo, quod per tot sæcula a vestris est ipsi denegatum. Auxilium Divinum pro hoc consequendo præsto vobis erit, illud invocate, ad Dominum incessanter clamate, ad vestras voces continuo aderit; Sacratissimam Virginem Mariam ejus Matrem in adjutorium Vestrum vocate, de cujus promptо auxilio certi sitis; Sanctos Vestros Patriarchas, & Ecclesiæ Doctores, qui honorem Christi Domini contra hæreticos tanto zelo defenderunt, etiam ut vos adjuvent exorate; de auxilio S. Sedis certi estote; semper vobis aderit, & Monachi qui in Diœcesibus vestris degunt, multum opera sua juvare vos etiam poterunt vestros Subditos instruendo. Considerate quantam gloriam vos, & Nationes vestræ coram Deo, & hominibus consequemini, si hoc S. Cyrilli zelo vos armemini. Ita de vobis certò confido, & humiliter vos precor, ut non ægrè hanc meam Epistolam feratis, & si in aliqua expressione terminos debitos excessi, mihi parcite, credentes, quod ea omnia, quæ exposita in ea sunt ex vera erga vos dilectione procedunt, & quod animo, & corde puro, ac de vestro statu mæsto, ex veroque desiderio salutis animarum vestrarum, ea omnia vobis exposita procedunt.

227. Et supplex Deum exoro, ut corda vestra sua repleat charitate, & humilitate, ut sine contentione unanimes sitis id ipsum sentiendo, quod Christus Dominus in Evangelio nos docet, Ecclesia Sancta in suis Œcumenicis Conciliis nobis credendum tradit, & Apostolus Paulus in suis exhortationibus à nobis omnibus petit, & cum ejusdem Apostoli verbis ad Philippenses (*cap. 2.*) concludo. *Implete gaudium meum, ut idem sapiatis, eamdem charitatem habentes, unanimes idipsum sentientes. Nihil per contentionem, neque per inanem gloriam: Sed in humilitate Superiores sibi invicem arbitrantes, non quæ sua sunt, singuli considerantes, sed quæ aliorum. Hoc enim sentite in vobis, quod & in Christo Jesu, qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo; sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, in similitudinem Hominum factus, & habitu inventus ut Homo. Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem Crucis.* In quibus verbis etiam vobis Apostolus ostendit duas Christi Naturas, duasque voluntates, & operationes, quas credere omnes debemus: Naturam Divinam in illis verbis, *Qui cum in forma Dei esset*: Humanam in illis, *Habitu inventus ut Homo*: Voluntatem humanam, in illis, *Factus obediens usque ad mortem, mortem autem Crucis*: Divinam in illis, *Exinanivit semetipsum*: duas operationes, humanam, in illis verbis *humiliavit semetipsum*, Divinam in illis *formam servi accipiens*. Hæc Illustrissimi Domini credebat Apostolus, hæc ejus fides erat, hæc quam Christus Dominus in Evangelio nos docuit, hæc totius Catholicæ Romanæ Ecclesiæ, hæc Majorum Vestrorum, & Sanctissimorum Patriarcharum, qui prædictos hæreticos præcesserunt, hæc tot millium SS. Anachoritarum qui in vestris desertis sanctissimè pro vestro exemplo vixerunt, hæc qua æternam salutem consequamur, & sine qua in æternum peribimus. Et hæc, ut in Domino confido, erit etiam fides vestra, & omnium Nationum Vestrarum. Faxit Deus, ut hunc felicem diem videat Orbis Catholicus. Valete in Domino, Dilectissimi, quos in Domino tenerrime amplector, & in æterna gloria me amplexurum expecto.

F I N I S.

ROMÆ, Typis Antonii de Rubeis. 1755.

SUPERIORUM PERMISSU.